QUAESTIONES TERTULLIANEAE AD LIBRUM ADVERSUS PRAXEAN PERTINENTES.

(TEILDRUCK.)

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS ROSENMEYER

METENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER

MCMVIII.

Genehmigt von der philosophischen Fakultät am 25. Januar 1908.

Teildruck mit Genehmigung der Fakultät.
Die ganze Arbeit erscheint in den
Dissertationes philologicae Argentoratenses selectae, vol. XIV, 1.
(Argentorati, Karl J. Trübner).

M. DuMont Schauberg, Straßburg i. E.

RICARDO REITZENSTEIN

BRUNONI KEIL

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

D. D. D.

PRAEFATIO.

Cum mihi propositum sit de Tertulliani libri, qui inscribitur 'Adversus Praxean', nonnullis locis quaestiones criticas instituere, facere non possum, quin incipiam ab Aemilio Kroymanno, quem de scriptore nostro recuperando optime meritum esse nemo negabit, qui priores editiones inspexerit. Cum ante eum editores ad arbitrium suum contextum constituissent — excipio utique Reifferscheidium et Wissowam, qui primam partem editionis Vindobonensis curaverunt —, non separassent optimos codices a deterioribus, Kroymannus in editione sua[1]) rectam ingressus est viam. Primus in '*Kritische Vorarbeiten für den 3. und 4. Band der neuen Tertullianausgabe* (Act. Ac. Caes. Vind. 143, ann. 1900)' demonstravit, quanti momenti Montepessulanus et Paterniacensis codices sint ad restituendum contextum, egregiumque codicum stemma nobis proposuit. In verbis genuinis auctori restituendis maxima sagacitate est usus, multis egregiis coniecturis persaepe difficultates e medio sustulit. Mirum non est in corrupto illo libro me multis locis alio modo atque eum sententiae subvenire conatum esse — si quis perlegerit librum illius, animadvertet eum sescentas signasse lacunas, quibus opus non erat —, sed certum fundamentum coniciendi me Kroymanno debere libere equidem profiteor.

Nunc pauca de codicibus[2]).

Ex Cluniacensi archetypo hodie deperdito deducendi sunt duo codices, qui nunc extant, Montepessulanus (M) — ex

---

[1]) Tertulliani operum pars III (1906), Corp. scr. eccl. Lat. XLVII.

[2]) Cf. Kroymanni praefationem in ed. eius maiore et librum '*Kr. Vorarb.*', quem modo laudavi.

quo Gorziensis hodie deperditus descriptus est — et Paterniacensis (P), praeterea libri Hirsaugienses, qui, quamquam non iam extant, tamen plane ignoti nobis non sunt, cum et Florentinus codex (F) ex iis pendeat et Rhenanus iis usus sit, qui et Gorziensis collationem in manibus habuit[1]). Hos igitur libros diligentius inspiciemus.

Montepessulanus codex (54, M) formae oblongae, membranaceus saec. XI ineunte est scriptus; librarius ipse eum correxit (m. 1), postea pauca ab aliis sunt mutata (m. 2, 3); ortus est codex ille, quem contulit Reifferscheidius, in coenobio Trecensi.


Gemellus eius est Paterniacensis (439, P), qui hodie Selestadii asservatur, formae est oblongae, scriptus et ipse XI. saeculo, quamvis exeunte, sed multo neglegentius M codice, cum librarius saepius ipse correxerit, quod scripserat. Beatus Rhenanus hunc codicem variis instruxit notis, quarum eas quas ex Hirsaugiensibus repetiit libris vocula 'aliter' insignivit; instructum ut Kroymanni verbis utar (p. XVI) 'Frobenio typis describendum commodavit'. Paterniacensem contulit Kroymannus. Ipse eundem Selestadi, ubi nunc asservatur, denuo contuli nec non tres Rhenani editiones, in quibus adnotationes variaeque lectiones Rhenani propria manu scriptae reperiuntur, quae interdum haud exigui sunt momenti. Paucis locis alia legi atque Kroymannus.

Florentinus F (Conv. soppr. VI 10), qui in bibliotheca Magliabechiana asservatur, chartaceus est, anno 1426 a duobus descriptus librariis. Contra Kroymannum, qui utilem esse putat codicem F, ut distinctius discernere possimus Rhenani coniecturas ab eis, quae debuerit codicibus, dicere velim Rhenanum ipsum huic rei satis prospexisse, cum variis codicum lectionibus verba 'alias' vel 'aliter' appingeret; tamen hic codex alicuius momenti est, cum vera imago Hirsaugiensium deperditorum videatur esse (cf. Kr 241/1 app. cr.).

---

[1]) Florentinus N, qui ex Montepessulano ortus est, nihil facit ad nos, quia liber Adversus Praxean in eo non extat.

Codices ita inter se cohaerent:



De editionibus perpauca addo. Maximi momenti sunt tres illae editiones Beati Rhenani, quae 1521, 1528, 1539 prodierunt. Sequuntur editiones: Martini Mesnarti (vulgo I. Gangnei, Paris. 1545), Sigismundi Gelenii (Basileae 1550), Iacobi Pamelii (Paris. 1579), Fr. Iunii (Franekerae 1597), tum egregia editio Nicolai Rigalti, quae primum prodiit Parisiis anno 1634, deinde compluries repetita. Saepius Rigaltius usus est adnotationibus, quas Fulvius Ursinus ad marginem exemplaris sui Pamelianae editionis adscripsit fontibus tamen suis non indicatis. Multum debeo editioni Fr. Oehleri, quae annis 1853—54 Lipsiae prodiit. Kroymanni priorem editionem iam commemoravi, ab eodem noster liber separatim editus est (Tubingae 1907), cuius de praefatione postea disserturus sum[1]).

Postremo moneo me in verbis Tertulliani laudandis maioris editionis Kroymanni numeros secutum esse (appictis tamen, quoad fieri potuit, editionis minoris numeris). In apparatu critico Kroymanni editionem maiorem secutus sum; quae ego adieci, uncinis [ ] significavi.

[1]) Hanc editionem non affero, nisi ab editione maiore discedit.

INDEX SIGLORUM.

M	=	Montepessulanus 54, saec. XI.
P	=	Paterniacensis 439, saec. XI.
F	=	Florentinus Magliabechianus Conv. soppr. VI 10, saec. XV.
R seu B. Rh.	=	Beatus Rhenanus.
R¹	=	editio princeps Beati Rhenani a. 1521 (Paterniacensi, ut Kroymanni verbis utar, superstructa et Hirsaugiensibus libris hodie deperditis).
R²	=	editio altera Beati Rhenani a. 1528.
R³	=	editio tertia Beati Rhenani a. 1539.
G	=	lectiones libri Gorziensis a Rhenano, ut statuit Kroymannus, non nisi in tertia editione usurpati.
Gel	=	editio Gelenii a. 1550.
Pam	=	editio Pamelii a. 1579.
Iun	=	editio Francisci Iunii a. 1597.
Rig	=	editio Nicolai Rigaltii a. 1634.
Urs	=	Fulvius Ursinus.
Lat	=	Latinus Latinius.
Oehlerus	=	editio Francisci Oehleri a. 1853—54.
Eng	=	Augustus Engelbrecht, qui Kroymannum adiuvit (cf. praef. Kr p. XXXIV).
Reiff	=	editio (pars I) Reifferscheidii et Wissowae in Corp. scr. eccles. Lat. (XX) a. 1890.
Kr	=	editio maior (pars III) Aemilii Kroymanni in Corp. scr. eccl. Lat. (XLVII) a. 1906.

Exordium sumam a capite gravissimo, in quod etiam Kroymannus plurimum insumpsit operae et laboris, quintum dico, quo Tertulliani doctrina de Logo primum profertur. Sed cum Stoicorum officinas adiisse Tertullianum satis notum sit omnibus, priusquam ad singulos accingar locos, pauca ex illorum placitis ceterorumque philosophorum delibabo, ut et res et verba in memoriam legentium revocentur[1]). Stoicis igitur, etsi corporalem deum fingunt, ratio est deus, deus ratio cuncta efficiens, quae per omnia meat, cf. Hippolyti Philos. I 21 (ed. Duncker-Schneidewin 40, 35): Χρύσιππος καὶ Ζήνων ... ὑπέθεντο καὶ αὐτοὶ ἀρχὴν μὲν θεὸν τῶν πάντων, σῶμα ὄντα τὸ καθαρώτατον, διὰ πάντων δὲ διήκειν τὴν πρόνοιαν αὐτοῦ ... Ipsam autem illam providentiam vel sapientiam dei etiam λόγον appellant, cf. Chrysippi frg. 913 (Arnim, Stoic. vet. frgm. II 264, 18): Εἱμαρμένη ἐστὶν ὁ τοῦ κόσμου λόγος ἢ λόγος τῶν ἐν τῷ κόσμῳ προνοίᾳ διοικουμένων. Ipsum λόγον cum definiunt, distinguunt inter λόγον ἐνδιάθετον et λόγον προφορικόν. Notissimam rem Zelleri verbis explicabo (III 1 p. 67 ed. 3, cf. et adn. 1): «Derselbe Logos, welcher Gedanke ist, so lang er in der Brust bleibt, wird zum Worte, wenn er aus ihr hervortritt»[2]). Haec rationis et sermonis distinctio initio certe non in dei λόγον translata, mox in hoc quoque facta est. Itaque Apio, quem esse fontem Aeliani

[1]) Usus sum libris: Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, ed. 3, 1894/7; F. Loofs, Leitfaden zum Studium der D. G., ed. 4, 1906; M. Heinze, Die Lehre vom Logos, 1872; A. Aall, Der Logos, 2 voll. 1896/99.

[2]) Praeierant et Aristoteles, qui disserit haec (Anal. post. I 10, 76b 24): οὐ γὰρ πρὸς τὸν ἔξω λόγον ἡ ἀπόδειξις, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἐν τῇ ψυχῇ, ἐπεὶ οὐδὲ συλλογισμός. ἀεὶ γὰρ ἔστιν ἐνστῆναι πρὸς τὸν ἔξω λόγον, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἔσω λόγον οὐκ ἀεί (cf. etiam Categ. 6, 4b 34) et Plato, qui διάνοιαν modo διάλογον ψυχῆς πρὸς ἑαυτήν, modo λόγον ὃν αὐτὴ πρὸς αὑτὴν ἡ ψυχὴ διέρξεται appellat (Theaetet. 189e; cf. Soph. 263e).

hist. an. X 29 Wellmannus ostendit (Hermes XXXI p. 249/50), cur Aegyptii ibim Mercurio sacram voluerint, his fere verbis exponit: καὶ τῷ Ἑρμῇ δέ φασι τῷ πατρὶ τῶν λόγων φιλεῖται, ἐπεὶ ἔοικε τὸ εἶδος τῇ φύσει τοῦ λόγου· τὰ μὲν γὰρ μέλανα ὠκύπτερα τῷ τε σιγωμένῳ καὶ ἔνδον ἐπιστρεφομένῳ λόγῳ παραβάλλοιτο ἄν, τὰ δὲ λευκὰ τῷ προφερομένῳ τε καὶ ἀκουομένῳ ἤδη καὶ ὑπηρέτῃ τοῦ ἔνδον καὶ ἀγγέλῳ, ὡς ἂν εἴποις. Cf. Plutarchi c. princ. philos. diss. c. 2, p. 777 B: τὸ δὲ λέγειν ὅτι δύο λόγοι εἰσίν, ὁ μὲν ἐνδιάθετος ἡγεμόνος Ἑρμοῦ δῶρον, ὁ δ' ἐν προφορᾷ διάκτορος καὶ ὀργανικός, ἕωλόν ἐστι ... Alii certe aut προφορικόν tantum ad Mercurium revocabant, velut exempli gratia philosophi, quos Iustinus (Apol. I 22) laudat ὑμῖν τοῖς τὸν Ἑρμῆν λόγον τὸν παρὰ θεοῦ ἀγγελτικὸν λέγουσιν, aut ἐνδιάθετον tantum λόγον cum illo deo coniungebant, velut Heraclitus Alleg. Hom. 72 (p. 141 ed. Mehler): Ἑρμῆς ... τουτέστιν ὁ ἔμφρων λόγος. ὑφιστάμεθα γοῦν ἐτύμως αὐτὸν Ἑρμῆν λέγεσθαι παντὸς τοῦ νοουμένου κατὰ ψυχὴν ἑρμηνέα τινὰ ὄντα nec minus Horapollo ille I 36: καρδίαν βουλόμενοι γράφειν ἶβιν ζωγραφοῦσι· τὸ γὰρ ζῷον Ἑρμῇ ᾠκείωται πάσης καρδίας καὶ λογισμοῦ δεσπότῃ.

Cum prioribus facere etiam Philonem nemo nescit; cuius de Logo doctrinam respicienti duae res primo obtutu occurrent, primum, ipsis Iudaeis, quo magis incorporalem deum et supra mundum elatum mente concipiebant, eo magis altera quasi divinitatis persona opus fuisse inter hominem deumque intermedia, quasi minore quodam deo, cum priore tamen deo quam artissime coniuncto, deinde e Graecorum philosophia cum Platonicorum tum Stoicorum omnia desumpta esse, quae huic sermonis divini notioni aliquo modo favere possent[1]). Iam enim duae illae sectae per Posidonium quasi coniunctae deum piorum animis secreta sua revelantem quaerebant, ut in Posidonium etiam magis quadrent, quae de Philone Harnackius (D. G. I 107) ait: «Die Einführung des Gedankens

[1]) Non meum certe est quaerere, num etiam Aegyptiorum religio aliquid contribuerit, aut exponere, quantum haec sermonis divini notio contulerit, ut sacrae Iudaeorum historiae facilius cum philosophia vel theosophia Graecorum coniungerentur.

einer Offenbarungsphilosophie und die auf Skepsis, aber auch auf vertieftem Lebensbedürfnis, ruhende Überbietung des absoluten Intellektualismus der griechischen Philosophie sind die großen, wenn auch in gewisser Weise vorher schon angebahnten, Neuerungen in dem Systeme Philo's». Sed haec et nota et alio loco tractanda. Nunc equidem hoc unum premo Philonem ea, quae de natura sermonis docuerant Stoici, recepisse et in deum sermonemque dei transtulisse, cf. de vita Mosis II 127 (ed. Cohn et Wendland IV 229/21): διττὸς γὰρ ὁ λόγος ἔν τε τῷ παντὶ καὶ ἐν ἀνθρώπου φύσει· κατὰ μὲν τὸ πᾶν ὅ τε περὶ τῶν ἀσωμάτων καὶ παραδειγματικῶν ἰδεῶν, ἐξ ὧν ὁ νοητὸς ἐπάγη κόσμος, καὶ ὁ περὶ τῶν ὁρατῶν . . . ἐξ ὧν ὁ αἰσθητὸς οὗτος ἀπετελεῖτο· ἐν ἀνθρώπῳ δ' ὁ μέν ἐστιν ἐνδιάθετος, ὁ δὲ προφορικός, <καὶ ὁ μὲν> οἷά τις πηγή, ὁ δὲ γεγωνὸς ἀπ' ἐκείνου ῥέων, de Abr. 83 (IV 20/8): διὰ μὲν γὰρ τῆς ἠχοῦς τὸν προφορικὸν λόγον αἰνίττεται, διὰ τοῦ πατρὸς δὲ τὸν ἡγεμόνα νοῦν — πατὴρ γὰρ ὁ ἐνδιάθετος φύσει τοῦ γεγωνοῦ πρεσβύτερός γε ὤν . . ., de migr. Abr. 71 (II 282/10): λόγος . . . ὁ μὲν πηγῇ ἔοικεν, ὁ δὲ ἀπορροῇ, πηγῇ μὲν ὁ ἐν διανοίᾳ, προφορὰ δὲ ἡ διὰ στόματος καὶ γλώττης ἀπορροῇ: vides filium vel emanationem rationis sermonem dici.

Sed priusquam haec persequamur, quoniam Tertullianus hoc loco de natura sermonis disserit, diligentius perlustremus, quid de illa docuerint Stoici. Incipiamus a loco Galeni (De Plac. Hippocr. et Plat. II 5; ed. Kühn V 241 sqq.; frgm. Stoic. III 215, frg. 29 [1])), qui Stoicos rationis sedem in corde, non in capite posuisse dicit, quoniam sermo ab illa individuus inde proferatur; Zenonem primum affert: Φωνὴ διὰ φάρυγγος χωρεῖ. εἰ δὲ ἦν ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου χωροῦσα, οὐκ ἂν διὰ φάρυγγος ἐχώρει. ὅθεν δὲ λόγος, καὶ φωνὴ ἐκεῖθεν χωρεῖ. λόγος δὲ ἀπὸ διανοίας χωρεῖ, ὥστ' οὐκ ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ ἐστὶν ἡ διάνοια. τὸν αὐτὸν δὴ τοῦτον λόγον Διογένης (ὁ Βαβυλώνιος sc.) οὐ κατὰ τὴν αὐτὴν ἐρωτᾷ λέξιν, ἀλλ' ὧδε . . . ἀλλὰ μὴν κἀκεῖνο ἀληθὲς τὸ τὸν λόγον ἐκ τῆς διανοίας ἐκπέμπεσθαι. ἔνιοι γοῦν καὶ ὁριζόμενοι αὐτόν φασιν εἶναι φωνὴν σημαίνουσαν, ἀπὸ διανοίας ἐκπεμπομένην. Magni momenti est Chrysippi sen-

[1]) Afferam semper lectiones Iohannis ab Arnim.

tentia (l. c. p. 242; frgm. Stoic. II 244, frg. 894): 'Εὔλογον δέ, εἰς ὃ γίγνονται αἱ ἐν τούτῳ σημασίαι, καὶ ἐξ οὗ ‹ὁ› λόγος, ἐκεῖνο εἶναι τὸ κυριεῦον τῆς ψυχῆς μέρος. οὐ γὰρ ἄλλη μὲν [ἡ] πηγὴ λόγου ἐστίν, ἄλλη δὲ διανοίας, οὐδὲ ἄλλη μὲν φωνῆς πηγή, ἄλλη δὲ λόγου, οὐδὲ τὸ ὅλον ἁπλῶς ἄλλη φωνῆς πηγή· ἐστιν, ἄλλο δὲ τὸ κυριεῦον τῆς ψυχῆς μέρος'. — τοιούτοις δὲ καὶ τὴν διάνοιαν συμφώνως ἀφοριζόμενοι λέγουσιν αὐτὴν πηγὴν εἶναι λόγου. — 'Τὸ γὰρ ὅλον ὅθεν ὁ λόγος ἐκπέμπεται, ἐκεῖσε δεῖ καὶ τὸν διαλογισμὸν γίγνεσθαι καὶ τὰς διανοήσεις καὶ τὰς μελέτας τῶν ῥήσεων, καθάπερ ἔφην...' Idem Galenus in eodem opere III 7, (Kühn V 343, frgm. Stoic. II 250, frg. 903) ubi Chrysippum laudavit dicentem: Εὖ μάλα δὲ παριστᾶσι τὸ λεγόμενον, ὡς ἔφην, καὶ αἱ ἐν αὑτοῖς γινόμεναι μελέται καὶ ῥήσεων καὶ τῶν παραπλησίων. ἐν ᾧ γὰρ ταῦτα πάντα συντελεῖται, πάντως εὔλογον ἐν ἐκείνῳ καὶ τὴν τοῦ λόγου διέξοδον γίνεσθαι, καὶ λέγειν ἡμᾶς καὶ διανοεῖσθαι κατ' ἐκεῖνο, ipse pergit (344/4): ἀληθῆ ταῦτα γράφεις, ὦ Χρύσιππε. καθ' ὃ γὰρ ἐν ἑαυτοῖς μελετῶμεν, ἢ καὶ μετὰ σιγῆς διεξερχόμεθα διανοούμενοι, τοῦτό ἐστι τὸ λογιζόμενον. Deinde Chrysippo sententiam adscribit (345/4) τῶν διαλογισμῶν ἡμᾶς αἰσθάνεσθαι κατὰ τὴν καρδίαν γινομένων et mox eiusdem verbis pergit (Arnim. l. c.): Ἀπὸ γὰρ τῆς διανοίας, φησί, δεῖ λέγειν καὶ ἐν ἑαυτῷ λέγειν [ἢ φωνὴν διεξιέναι] καὶ διανοεῖσθαι καὶ ἐν ἑαυτοῖς φωνὴν διεξιέναι καὶ ἐκτὸς ἐκπέμπειν.

Vides Stoicorum doctrinam exscribere Iohannem Damascenum, qui De fide orthodoxa II, XXI (Migne 94, p. 940 B) praebet haec:

Περὶ ἐνδιαθέτου λόγου καὶ προφορικοῦ. Πάλιν δὲ διαιρεῖται τὸ λογικὸν τῆς ψυχῆς εἴς τε τὸν ἐνδιάθετον λόγον καὶ εἰς τὸν προφορικόν. Ἔστι δὲ ἐνδιάθετος μὲν λόγος κίνημα τῆς ψυχῆς ἐν τῷ διαλογιστικῷ γινόμενον ἄνευ τινὸς ἐκφωνήσεως· ὅθεν πολλάκις καὶ σιωπῶντες λόγον ὅλον ἐν ἑαυτοῖς διεξερχόμεθα, καὶ ἐν τοῖς ὀνείροις διαλεγόμεθα· κατὰ τοῦτο δὲ μάλιστα λογικοὶ πάντες ἐσμέν. Καὶ γὰρ οἱ ἐκ γενετῆς κωφοὶ ἢ οἱ διά τι νόσημα ἢ πάθος τὴν φωνὴν ἀποβαλόντες οὐδὲν ἧττον λογικοί εἰσιν. Ὁ δὲ προφορικὸς λόγος ἐν τῇ φωνῇ καὶ ἐν ταῖς διαλέκτοις τὴν ἐνέργειαν ἔχει. ἤγουν ὁ διὰ γλώσσης καὶ στόματος προφερόμενος λόγος. διὸ καὶ προφορικὸς λέγεται·

ἔστι δὲ ἄγγελος νοήματος. Κατὰ τοῦτο δὲ καὶ λαλητικοὶ λεγόμεθα. Magni momenti est, quod sequenti in capite (xxii, 944 A) scriptum legimus: Ἡ ... ἐνθύμησις ... ἑαυτὴν βασανίσασα καὶ ἀνακρίνασα τὴν ψυχὴν πρὸς τὸ νοούμενον, φρόνησις ὀνομάζεται. Ἡ δὲ φρόνησις πλατυνθεῖσα ποιεῖ τὸν διαλογισμόν, ἐνδιάθετον λόγον ὀνομαζόμενον· ὃν ὁριζόμενοί φασι κίνημα ψυχῆς πληρέστατον ἐν τῷ διαλογιστικῷ γενόμενον, ἄνευ τινὸς ἐκφωνήσεως, ἐξ οὗ τὸν προφορικὸν λόγον φασὶ προέρχεσθαι, τὸν διὰ γλώσσης λαλούμενον.

Iam igitur ad ipsa Tertulliani verba explananda et emendanda accedamus. Liceat totum caput, ut a Kroymanno editum est, in medium proferre (232/28 Kr ed. mai. — 6/1 ed. min.):

Sed quia duos unum volunt esse, ut idem pater et filius habeatur, oportet et totum de filio examinari, an sit et (233/1) qui sit et quomodo sit, et ita res ipsa formam suam scripturis, et interpretationibus earum patrocinantem, vindicabit. aiunt quidam et Genesim in Hebraico ita incipere: in principio deus fecit sibi filium. hoc ut firmum non sit, (5) alia me argumenta deducunt de ipsa dei dispositione, qua fuit ante mundi constitutionem ad usque filii generationem. ante omnia enim deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia, solus autem, quia nihil aliud extrinsecus praeter illum. ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim (10) secum quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. rationalis enim deus, et † ratio in ipsum prius et ita ab ipso omnia. quae ratio sensus ipsius est, hanc Graeci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus, ideoque iam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis (15) sermonem dicere in primordio apud deum fuisse, cum magis rationem competat,

1 esse volunt F; 2 oportet in totum *susp. Kr*; 3 ipsa res P (*invertit ordinem* R); 4 patrocinantem *Kr*: patrocinantibus PMF; quidam *Ciacconius*: quidem PMF; 6 argumenta me F; 7 deducunt = *docent*, *ut deductor* (229/2) = *doctor*; de *Kr*: ab PMF; 10 aliud *om.* P; 12 rationem, suam scilicet *Oehlerus*; 13 ipsum MP (*corr.* ū *in* o R), ipso FR *vulgo*; et ratio in ipsum <ipso> prius et ita ab ipso alia *susp. Kr*; 14 est. hanc *vulgo*; 17 *ad* competat *adn. Kr*: *scil.* dicere in primordio apud deum fuisse;

[antiquiorem haberi] quia non sermonalis a principio sit rationalis deus [etiam ante principium] et quia ipse quoque sermo ratione consistens priorem eam ut substantiam suam ostendat. tamen et sic nihil interest. nam etsi deus (20) nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitanto et disponendo secum quae per sermonem mox erat dicturus. cum ratione enim sua cogitans atque disponens ⟨sermone,⟩ sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat. id quo facilius intellegas, (25) ex te ipso, amo, recognosce ut ex imagine et similitudine (234/1) dei, quod habeas et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, a rationali scilicet artifice non tantum factus, sed etiam ex substantia ipsius animatus. vide, cum tacitus tecum ipse congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te occurente (5) ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, ad omnem sensus tui pulsum. quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ⟨o⟩ratio est. loquaris illud necesse est in animo, et dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest haec ipsa ratio, qua cum eo cogitans (10) loquaris, per quem loquens cogitas. ita secundus quodammodo in te est sermo. [per quem loqueris cogitando et per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est.] quanto ergo plenius hoc [agitur] in deo, cuius tu quoque imago et similitudo censeris? [quod habeat in se etiam tacendo rationem et in (15) ratione sermonem] possum itaque non temere praestruxisse et tunc deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde

18 antiquiorem haberi ***seclusit Kr***; sit ***Kr***: sed PMF; 19 etiam ante principium ***seclusit Kr***; 25 sermone ***addidit Kr***; 26 id quo ***Kr***: id quod MF, idque quo P; 27 amo, recognosce ***Kr***: amore cognosce MF, a me recognose P, ante recognosce ***Urs***; 28 quod MF, quo P, quam ***Urs***; 32 agi R^{3}: age PMR^{1}; 34 oratio ***Kr***: ratio PMF; 35 necesse est in animo MP (***invertit ordinem R secundum Hirsaugiensem***), in animo necesse est FR ***vulgo***; 36 in quo est lex ipsa ratio F; 38 secundus = ***ut adn. Kr secunda, id est alia persona*** (***cf. supra*** conlocutorem pateris sermonem ***et quae infra sequuntur l. 42 sqq.***); 38/40 per quem — alius est ***seclusit Kr***; 40 quanto R^{3}: quando $PMFR^{1}$; agitur ***seclusit Kr***; 41/42 quod habeat — sermonem ***seclusit Kr***.

rationem et in ratione sermonem, quem secundum a se fecerat agitando intra se.

45 fecerat *Kr*: faceret PMF; 46 cogitando *susp. Eng.*

Nunc vertamur ad singulos locos. Ineunte capite scriptum legimus: 'Sed[1]) quia duos unum volunt esse, ut idem pater et filius habeatur, oportet et totum (in totum *susp. Kr*) de filio examinari, an sit et qui sit et quomodo sit, et ita res ipsa formam suam scripturis, et interpretationibus earum patrocinantem (patrocinantibus PMF), vindicabit'.

Haud recte Kroymannus bonam illam codicum lectionem immutare conatus est. Iuris consultum Tertullianum ibi cognoscimus, qui quasi iudicium introducit: in iudicio versatur rei forma, testimonia sunt scripturae, interpretationes sunt quasi advocati aut patroni, qui illi succurrunt. Quare dilucidum est atque perspicuum: 'et ita res ipsa formam suam scripturis et interpretationibus [earum] patrocinantibus (*sc.* ei formae) vindicabit (= *wird verteidigen*, *sicher stellen*). Fortasse ut acrius sententiam pronuntiemus, pro illo 'earum' 'ei' non modo mente supplendum, sed scribendum est. Hoc autem nihil refert. Ad figuram velim conferas De test. an. I (Reiff. 134/13): '... nihil nos aut novum aut portentosum suscepisse, de quo non etiam communes et publicae litterae ad suffragium nobis patrocinentur, ...' Paulo antea Kroymannus recte haesit in 'et totum' et scribendum suspicatur 'in totum', quod in contextum recipere non dubito[2]).

Transimus nunc ad locum, qui hoc multo est difficilior: apud nos p. 5/10, apud *Kr* 233/9—6/11: 'ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. rationalis enim deus, et † ratio in ipsum prius (in ipso prius FR *vulgo;* in ipsum ⟨ipso⟩ prius *susp. Kr*) et ita ab ipso omnia (et ita ab ipso alia *susp. Kr*). quae ratio sensus ipsius est, hanc...'

---

[1]) In locis exscribendis ut hic ita semper Kroymanni editionem maiorem sequar eiusque afferam lectionem.

[2]) Cf. De baptismo c. II (Reiff. 201/17): 'ad fidem labefactandam vel in totum non recipiendam'.

Codicum lectionem veram non esse Kroymannus recte intellexit et bene exposuit (pag. 66 ed. min.): «Lesen wir mit der schlechteren Ueberlieferung, wie bisher geschehen ist, in ipso, so hätten wir: und die Vernunft ist in ihm 'das frühere' und so stammt von ihm alles. Dies ergibt einen nicht einmal in sich klaren Gedanken; wenigstens müßte man dann weiter ändern: ab ipsa = von ihr, nämlich der ratio. Aber auch mit dieser Aenderung wäre in unserm Zusammenhang nichts gewonnen. Denn nicht daß von der ratio, dem λόγος, das Universum stamme (cf. Joh. 1, 1), soll hier bewiesen werden, sondern daß sie ein Zweites in Gott ist». Hactenus cum Kroymanno consentio, sed verba quae sequuntur nullo modo probare possum. Profert enim haec: «Gott ist sowohl das Subjekt als auch das Objekt seines Selbstbewußtseins oder seines Sichselbsterkennens; die ratio ist das Subjekt, Gott selbst das Objekt. Insofern aber das Subjekt als Erkennendes das prius, das Erkannte als Objekt das posterius ist, ist von Anfang an in Gott eine Zweiheit». Priora agnoscere possum. Dubitari non potest, quin ratio, quae cogitat, subiectum sit, cum id, de quo ratio cogitat, h. e. deum quasi obiectum nominare possimus. Quomodo autem dicere potuit subiectum ut cognoscens prius esse, obiectum ut cognitum posterius?[1]). Haud recta est conclusio illa: 'et ratio in ipsum ipso prius et ita ab ipso alia'. Nullo modo ratio deo est prior, — quod quidem scribere mallem quam 'prius', si Kroymannum sequi possem — et obstarent omnia ea, quae supra quasi per prooemium praefati sumus. Certe antiqua interpunctione restituta ita scribendum est: 'et ratio in⟨tra⟩ ipsum prius et ita in ipso omnia, quia ratio sensus ipsius est'. 'Prius' illud adiectum est, quia subauditur: postea ut sermo extra ipsum. Firmatur hoc sequentibus verbis: 'sermonem dicere in primordio apud deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi . . . quia ipse quoque sermo ratione consistens priorem eam ut substantiam suam ostendat'. Concludi non posse 'et ita ab ipso omnia'

---

[1]) Idem Kroymanno obicit Jülicher, qui Theol. Literaturzeitung 1908, Nr. 14 iudicat de Kroymanni editione minore.

iam dixit Kroymannus, sed 'et ita ab ipso alia' ad nostram lectionem 'ratio intra ipsum prius' non iam quadrat. Praeterea 'quae ratio' rectum esse mihi non videtur; nescio quid illud 'quae' sibi velit; certo coniungendum est: 'et ita in ipso omnia, quia ratio sensus ipsius est.' Agitur enim de νῷ ἑαυτὸν νοοῦντι, ut recentiores dixerunt Neoplatonici velut Pseudoiamblichus, qui de Myst. VIII 3 illum antiquissimum deorum qui Cmeph audiat, Aegyptiis esse dicit. Ad nostra verba velim conferas 235/8—7/28: 'ipsum primum protulit sermonem, habentem in se individuas suas < socias, > rationem et sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, immo et facta iam, quantum in dei sensu'. Ad 'et ita in ipso omnia' cf. supra 'ipse sibi et mundus et locus et omnia', Hippolyti Εἰς τὴν αἵρεσιν Νοήτου τινός (Migne 10, 817 B): Πάντα δὲ ἦν ἐν αὐτῷ, αὐτὸς δὲ ἦν τὸ πᾶν.

Nunc ad sequentia verba: hanc rationem Graeci appellant λόγον, quae vox apud Latinos etiam verbum seu sermonem significat, quare simplicitatis causa sermonem in primordio apud deum fuisse illi dicunt, 'cum magis' (p. 5/17 apud nos; sequor codices) 'rationem competat antiquiorem haberi, quia non sermonalis a principio, sed rationalis deus etiam ante principium . . .' Kroymannus verba 'antiquiorem haberi' (233/16—6/18) et 'etiam ante principium' (v. seq.) seclusit hac explicatione addita: «Hier sind die Worte 'antiquiorem haberi' eine handgreifliche Interpolation. Denn nach dem Satze: 'und darum hat man sich bei uns infolge der Einfalt der Übersetzung gewöhnt zu sagen, im Anfang sei der 'sermo' bei Gott gewesen', kann der folgende adversative Gedanke nur lauten: 'während es richtiger wäre zu sagen: die ratio'. Statt dessen steht da: 'während es richtiger wäre, daß man die ratio für die ältere hielte'. Das ist nicht nur gegen die Logik, sondern auch insofern mißverständlich, als man das Wort 'älter' doch nach dem Vorhergehenden nur so ausdeuten könnte, daß die ratio also bereits vor dem principium dagewesen sei. Und das wäre ein Unsinn, da principium im vorhergehenden nicht den durch die Weltschöpfung gesetzten Anfang, sondern den Uranfang des Seins überhaupt (von Ewigkeit

her) bedeutet. Tertullian hat also mit der ihm eigentümlichen Ellipse geschrieben: cum magis rationem competat (*scil.* dicere in primordio fuisse). Der Interpolator begriff das nicht und glaubte helfen zu müssen. Hieran schließt sich die Begründung, die in der Überlieferung folgendermaßen lautet: 'quia non sermonalis a principio, sed rationalis deus etiam ante principium'. Schon die sprachliche Fassung des Gedankens ist höchst auffällig, da wir für sed das adversative cum erwarten müßten. Sinn aber könnte der Gedanke nur haben, wenn das Wort principium beide Male dasselbe bedeutete. Nun kann aber a principio hier nur bedeuten 'von Anfang an' d. h. 'von Ewigkeit her', während etiam ante principium nur heißen könnte: 'auch vor dem Anfang', nämlich dem mit der Weltschöpfung einsetzenden Anfang. Zu der stilistischen Bedenklichkeit kommt also eine sachliche Unmöglichkeit. quia verbindet Tert. in der Regel mit dem Konjunktiv. Ich meine daher, daß sed (in den Hdschr. set geschrieben) eine Korruptel aus sit ist und streiche etiam ante principium. Dann ergibt sich der zur Begründung völlig ausreichende Gedanke: 'weil der mit der ratio ausgestattete Gott nicht von Uranfang an ein mit dem sermo ausgerüsteter ist'.»

Priore loco, quo ad evangelii verba ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν alludit auctor, non multum interest, utrum 'in primordio' significet principium omnium rerum an principium mundi. Kroymannus erravit, nam bene intellegitur sententia: ratio a primordio omnium rerum erat apud deum. Cum hanc Graeci λόγον nominent, qua voce Latini et sermonem appellant, saepius dicunt Latini sermonem in primordio (*im Uranfang*) apud deum fuisse, cum ratio in primordio apud deum fuerit; antiquior igitur erat sermone; quarum sententiarum priorem auctor, quia per se intellegitur, non elocutus est. 'antiquiorem haberi' nullo modo omitti potest, id quod firmatur sententia: 'quia ipse quoque sermo ratione consistens priorem eam ut substantiam suam ostendat'.

Nunc vertamur ad sententiam, quae codicibus ita est tradita: 'quia non sermonalis a principio, sed rationalis deus etiam ante principium'.

Etiam hoc loco Kroymannus sibi ipse difficultates parat dicens de primordio omnium rerum agi. Sed scimus deum esse aeternum ut sine fine ita sine initio, principium igitur nihil est nisi mundi principium, quare equidem certe commoveor, ut et priore loco de mundi principio agi putem: in principio sermo non erat apud deum, sed hoc tempore ab illo emissus est. Quam ad significationem huius verbi velim conferas c. XVI (256/9—24/22): 'pater enim, qui *diligit filium et omnia tradidit in manu eius*, utique a primordio diligit et a primordio tradidit, ex quo [a primordio] *sermo erat apud deum et deus erat sermo*...' Maximi momenti est locus c. XIX (262/14—29/23): 'primum scilicet omnium sermo: *in principio erat sermo*, in quo principio prolatus a patre est. ceterum pater non habens initium, ut a nullo prolatus, ut innatus...' Sic verba 'etiam ante principium' facile explicantur. Sed etiamsi aliam praeferas interpretationem, illa verba ex loquendi usu philosophorum intellegentur, quo augendi causa ἀρχῇ opponunt προαρχήν quandam aut de primo et vetustissimo deo ita loquuntur ut personatus ille Iamblichus de Myst. VIII 2: πρὸ τῶν ὄντως ὄντων καὶ τῶν ὅλων ἀρχῶν ἔστι θεὸς εἷς κτλ. Quare 'sed' (233/17—6/19) dici non possit, equidem intellegere non possum, copula 'sit' ex sequenti coniunctivo 'ostendat' facile mente potest suppleri. Egregie igitur praebent codices: 'quia non sermonalis a principio, sed rationalis deus etiam ante principium'. Sed inter rationem et sermonem non tam acriter distinguitur: 'nam etsi deus nondum sermonem suum ⟨e⟩miserat[1]), proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando et disponendo secum quae per sermonem mox erat dicturus'. Excipit hoc sententia: 'cum ratione enim sua cogitans atque disponens, sermonem eam efficiebat, *cum* *sermone* tractabat'. Verbum 'sermone', quod Kroymannus post 'disponens' adiecit, sensu caret; de sermone interno loquitur auctor p. 6/31 (234/4—6/31); ibi habes Stoicorum λόγον ἐνδιάθετον et λόγον προ-

[1]) Sic pro 'miserat' fortasse scribendum est, cf. c. VII (237/15—9/23) 'quanto magis quod ex ipsius substantia emissum est sine substantia non erit?'

φορικόν! 'quam sermone tractabat' vix intellegitur, certe 'quam' ex 'quom' corruptum est: 'sermonem eam efficiebat, cum (*indem*; *dadurch daß*) sermone tractabat'. Ut rem distinctius explicet, Tertullianus affert comparationem hominis, qui ipse quoque rationem sermonemque habet in se.

p. 6/27: *Kr* 233/25; 6/27.

amore cognosce MF; a me recognosce P; ante recognosce *Urs;* amo, recognosce *Kr.* Lepide Kroymannus codicum MF verba diremit in 'amo, recognosce'. Sed offendo in 'amo' = *bitte*, quod nusquam scriptum legi; futurum 'amabo' usurpatur, quod bene explicant viri docti: te amabo vel osculabor, si hoc feceris; antiquissimis enim temporibus mulieres tantum ita loquebantur (cf. Lindsay, Burs. Jahresber. 1906[2] p. 226). Explosa igitur Kroymanni coniectura scribamus: 'ex te ipso, homo, recognosce'. Utrum nunc intellegendum sit: 'recognosce ut ex imagine et similitudine deum, quod (= *weil*) ...' an 'recognosce ut ex imagine et similitudine dei, quod (= *daß*) ...' certo diiudicare non ausim. Alludit ad Genes. I 26, ubi scriptum legimus: Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν. Sed 'quod habeas' demonstrare videtur hanc interpretationem veram esse, cui bene respondet paulo infra (234/13—7/7): 'hoc ag<noscitur>... quod habeat...' Ex se ipso homo, ut ex imagine dei, recognoscit habere se et ipsum in se rationem, cum a rationali artifice factus, ex ipsius substantia animatus sit. Cum secum reputat homo, sermo cum ratione intra ipsum coniungitur ad omnem cogitatus motum, ad omnem sensus pulsum (cf. supra 'quia ratio sensus ipsius est'). Pergit nunc auctor: (234/6—6/33) 'quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est'. Intellegere non possum, qua re adductus Kroymannus deleverit totam sententiam 'ratio' mutans in 'oratio'; apertum est agi de sermone et ratione, non de sermone et oratione; remitto te ad Iohannis Damasceni verba supra pagina 4 laudata: Ἔστι δὲ ἐνδιάθετος μὲν λόγος κίνημα τῆς ψυχῆς ἐν τῷ διαλογιστικῷ γινόμενον ἄνευ τινὸς ἐκφωνήσεως· ὅθεν πολλάκις καὶ σιωπῶντες λόγον ὅλον ἐν ἑαυτοῖς διεξερχόμεθα ... Nostra verba etiam confirmantur sententia (233/21—6/23) 'tacite cogitando et disponendo secum quae

per sermonem mox erat dicturus. cum ratione enim sua cogitans atque disponens, sermonem eam efficiebat, cum sermone tractabat'. Verbis 'ad omnem sensus tui pulsum (κίνηςιν)' et 'quodcumque senseris ratio est' alludit auctor ad verba, quae supra legimus: 'quia ratio sensus ipsius est'; sensus idem est ac ratio (λόγος ἐνδιάθετος), quibuscum coniungendus est sermo, qui ipse quoque hic est ἐνδιάθετος (cf. Io. Dam. l. c. verba), id est cogitatio: *Was du denkst* (ὅτι ἂν λογίςῃ), *ist in Wahrheit doch ein* λόγος. Cf. paulo infra p. 14.

Iam pergit Tertullianus: Illud, i. e. quodcumque sentimus vel cogitamus, in animo loquimur; habemus igitur conlocutorem sermonem, in quo inest haec ipsa ratio: 'conlocutorem pateris sermonem, in quo inest haec ipsa ratio'. Sequentia verba (234/9—7/3) ita tradita sunt codicibus: 'qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas', quae recta esse non possunt, cum non sermone cogitemus sed ratione, neque ratione loquamur sed sermone. Fortasse facili mutatione ordinis verborum scribendum est: 'qua cogitans cum eo loquaris . . .', melior autem esset confirmatio verborum, quae praecedunt: 'in quo inest haec ipsa ratio, qu<i>a cum eo cogitans loqueris (*seu* loquaris)' — scimus sermonem esse collocutorem — 'per quem cogitas loquendo'. Auctorem ibi paronomasia verborum λογίζεςθαι et ςυλλογίζεςθαι usum esse intellegemus totam sententiam transferentes in Graecum sermonem: ὅτι μὲν ἂν λογίςῃ, λόγος ἐςτίν· ὅτι δ' ἂν νοήςῃς, διάνοιά[1]) ἐςτιν. Ἀναγκαῖον οὖν ἐςτι ἐκεῖνό ςε λέγειν ἐν ςαυτῷ, καὶ λέγοντα διαλογιζόμενον ἀνέχεςθαι τὸν λόγον, ἐν ᾧ ἔνεςτιν αὐτὴ ἡ διάνοια, διότι ςὺν τούτῳ λογιζόμενος λέγεις, δι' οὗ λέγων λογίζῃ. In sequentibus Kroymanno assentiri non possum, qui disserit l. c. p. 69: «Daher die Worte: conlocutorem pateris sermonem, d. h. 'du sprichst nicht allein durch den sermo, sondern zugleich auch mit dem sermo' (qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas). Hierzu stimmt nun aber durchaus nicht die Folgerung: 'ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando et per quem loquendo cogitas; ipse sermo alius est'. Denn hier wird nicht

---

[1]) διάνοια eodem fere sensu quo διαλογιςμός usurpatur.

gefolgert, daß der sermo ebenso wie die ratio in Gott ein Zweites ist, sondern es wird gesagt, daß der innere, der Gedanken-sermo, gewissermaßen ein zweiter sermo sei, den man von dem gesprochenen sermo wohl unterscheiden müsse. Das ist die flache Wiederholung des der Deduktion zugrunde liegenden Gedankens und bringt diese selbst nicht einen Schritt weiter. Schuld daran ist der Interpolator, welcher die Worte 'secundus quodammodo' nicht, wie er hätte sollen, prädikativ, sondern attributiv faßte. Er verstand also: so gibt es in dir gewissermaßen 'einen zweiten sermo', und setzte nun zur Verdeutlichung die Worte: 'per quem loqueris ... alius est' hinzu. Gesagt aber hat Tertullian: 'So ist gewissermaßen der sermo ein zweiter in dir'.»

Sed id, a quo Kroymannus proficiscitur, rectum non est; iam explicavimus hanc sententiam. Bene ex antecedentibus concluditur verbis: habes in te secundum quendam vel alium sermonem (cf. supra λέγειν ἐν ἑαυτῷ); quae explicantur verbis: 'per quem loqueris cogitando' — scilicet non verbis, sed mente[1]) — 'et per quem cogitas loquendo; ipse sermo' — quem verbis eloqueris — 'alius est'. 'alius' propter 'secundus' adiectum est. Duas sententias ita coniunxit: 1. sermonem quendam (ἐνδιάθετον scilicet) in omni διαλογισμῷ in nobis esse secundum (i. e. quasi alteram personam), 2. ipsum sermonem qui proprie ita vocetur alium, h. e. ab illo priore diversum esse. Antea enim p. 233/12 dixerat sermonem re vera illum προφορικὸν λόγον significare. Omnia igitur servanda sunt: ἔχεις ἐν σαυτῷ ἕτερόν τινα λόγον, δι' οὗ λογιζόμενος λέγεις καὶ λέγων λογίζῃ· αὐτὸς δὲ ὁ (προφορικὸς) λόγος ἕτερός ἐστιν. Nunc auctor ad id revertitur, a quo discessit. Quanto plenius hoc in deo intellegimus, cuius homo imago tantum est? 'agitur' (234/13—7/7) profecto ex priore 'agi' invasit; desidero aliquod verbum, ex quo pendeat sequens 'quod habeat ...'; quare certe scribendum est: 'quanto ergo plenius hoc ag<nosc>itur in deo', ad quod egregie se adiungunt verba 'quod habeat in se etiam tacendo rationem et in ratione sermonem' (ὅτι καὶ σιγῶν διαλογισμὸν καὶ ἐν διαλογισμῷ λόγον

[1]) Cf. supra 'conlocutorem pateris sermonem'.

ἔχει)[1]). Minime igitur illa verba extinguenda sunt. Sententia haec est: ut homo, cum tacitus secum ipse congreditur ratione, habet in se rationem et in ratione sermonem, per quem loquitur cogitando et per quem cogitat loquendo, ita et deus habet etiam tacendo in se rationem et in ratione sermonem. Confirmatur igitur hoc loco id, quod supra de sermone interno diximus[2]). Deus igitur nunquam solus fuit, habet in se rationem et in ratione sermonem (redit enim Tertullianus ad ea, quae p. 5/10 apud nos proposuerat: 'ceterum ne tunc quidem solus'). Sed nullo modo Kroymannum sequor, qui 'faceret' mutare voluit in 'fecerat'. Iam nunc 'facit' secundum eum agitando intra se; coniunctivus in oratione obliqua potest ferri; Graeca lingua diceremus: ὃν ἕτερον (δεύτερον) ἑαυτοῦ ποιεῖ. 'agitando' Engelbrechtius lepide mutavit in 'cogitando' (λογιζόμενος ἐν ἑαυτῷ), sed vereor ne auctor scripserit: 'agitando intra se' (κινούμενος ἐν ἑαυτῷ), cum agatur de Stoicorum cogitatione, quae est κίνησις ἐν ἑαυτῷ. Cf. supra: 'hoc ... agi intra te'.

Qua disputatione finita nunc mihi liceat totum caput, quomodo editum id velim, variis lectionibus additis denuo in medium proferre:

(232, 28) Sed quia duos unum volunt esse, ut idem pater et filius habeatur, oportet in totum de filio examinari, an sit et (233/1) qui sit et quomodo sit, et ita res ipsa formam suam scripturis et interpretationibus [earum] patrocinantibus vindicabit. aiunt quidam et Genesim in Hebraico ita incipere: in principio deus fecit sibi filium. hoc ut

1 esse volunt F; 2 oportet in totum *susp. Kr, ego in context. recepi*, oportet et totum PMF; 3 ipsa res P (*invertit ordinem* R); 4 earum *seclusi*; patrocinantibus PMF, patrocinantem Kr; 5 quidam *Ciacconius*: quidem PMF.

---

[1]) Verba 'agnoscitur — quod habeat ...' respondent verbis supra usurpatis 'recognosce ... quod habeas ...', cf. hunc locum.

[2]) Cf. verba Io. Damasceni (supra pag. 4) πολλάκις καὶ σιωπῶντες λόγον ὅλον ἐν ἑαυτοῖς διεξερχόμεθα. Ego antea 'etiam tacendo' ad 'sermonem' solum referre volui, sed nostro loco ea verba movenda non sunt, altero loco discindunt sententiam. 'tacendo' nihil significat nisi simplex participium καὶ σιγῶν; cf. c. X (241/8—12/26) 'non habendo autem filium'.

firmum non sit, (5) alia me argumenta deducunt de ipsa dei dispositione, qua fuit ante mundi constitutionem ad usque filii generationem. ante omnia enim deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia, solus autem, quia nihil aliud extrinsecus praeter illum. ceterum ne tunc quidem solus; habebat enim (10) secum quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. rationalis enim deus, et ratio in⟨tra⟩ ipsum prius et ita in ipso omnia, quia ratio sensus ipsius est. hanc Graeci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus, ideoque iam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis (15) sermonem dicere in primordio apud deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi, quia non sermonalis a principio, sed rationalis deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens priorem eam ut substantiam suam ostendat. tamen et sic nihil interest. nam etsi deus (20) nondum sermonem suum ⟨e⟩miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando et disponendo secum quae per sermonem mox erat dicturus. cum ratione enim sua cogitans atque disponens, sermonem eam efficiebat, cum sermone tractabat. id quo facilius (25) intellegas, ex te ipso, homo, recognosce ut ex imagine et similitudine (234/1) deum, quod habeas et tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, a rationali scilicet artifice non tantum factus, sed etiam ex substantia ipsius animatus. vide cum tacitus tecum

7 argumenta me F; deducunt = *docent, ut deductor* (229, 2) = *doctor*; de *Kr*: ab PMF; 11 aliud *om.* P; 13 rationem, suam scilicet *Oehlerus*; 14 ipsum MP (*corr.* ũ *in* o R), ipso FR *vulgo*, et ratio in ipsum ⟨ipso⟩ prius et ita ab ipso alia *susp. Kr*: et ratio in⟨tra⟩ ipsum prius et ita in ipso omnia *scripsi*; quia ratio *scripsi*: quae ratio PMF; 15 est. hanc *vulgo* : est, hanc *Kr*; 18 competat *scil.* dicere in primordio apud deum fuisse *adnot. Kr, qui* antiquiorem haberi *seclusit*; 19 sed PMF, sit *Kr*; etiam ante principium *secl. Kr*; 23 emiserat *scripsi*: miserat PMF *vulgo*; 26 disponens PMF, disponens sermone *Kr*; cum sermone *scripsi* : quam sermone PMF; 27 id quo *Kr*: id quod MF, idque quo P; 28 homo, recognosce *scripsi* : amore cognosce MF, a me recognosce P, ante recognosce *Urs*, amo recognosce *Kr*; deum *scripsi*: dei PMF; 29 quod MF, quo P, quam *Urs*.

ipse congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te occurrente (5) ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, ad omnem sensus tui pulsum. quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est. loquaris illud necesse est in animo, et dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest haec ipsa ratio, qu<i>a cum eo cogitans (10) loquaris, per quem loquens cogitas. ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando et per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est. quanto ergo plenius hoc ag<nosc>itur in deo, cuius tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeat in se etiam tacendo rationem et in (15) ratione sermonem! possum itaque non temere praestruxisse et tunc deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem et in ratione sermonem, quem secundum a se faceret agitando intra se.

32 agi R^{3}: age PMR^{1}; 35 ratio PMF, oratio *Kr*; necesse est in animo MP (*invertit ordinem* R *secundum Hirsaugiensem*), in animo necesse est FR *vulgo*; 37 in quo est lex ipsa ratio F; quia *scripsi*: qua PMF *vulgo*; 38 loquaris PMF, loqueris *fort.*; 'secundus = *secunda id est alia persona* (*cf. supra* conlocutorem pateris sermonem *et quae infra sequuntur l. 43 sqq.*)' *adnot. Kr*; 39/40 per quem loqueris — alius est *secl. Kr*; 40 quanto R^{3}: quando $PMFR^{1}$; 41 agnoscitur *scripsi*: agitur PMF, *seclus. Kr*; 42/43 quod habeat — sermonem *secl. Kr*; 46 faceret PMF, fecerat *Kr*; cogitando *susp. Eng.*

De capitibus VII—VIIII.

VII. Et hoc loco optimum esse puto caput, quale Kroymannus edidit, maxima ex parte in medium proferre.

(235/14—8/1) Tunc igitur etiam ipse sermo speciem et ornatum suum (15) sumit, sonum et vocem, cum dicit deus: fiat lux. haec est nativitas perfecta sermonis, dum ex deo procedit. conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine sophiae: dominus condidit me initium viarum, dehinc generatus ad effectum: cum pararet caelum, aderam illi, exinde eum (20) patrem sibi faciens, de quo procedendo *, filius factus est, primogenitus, ut ante omnia genitus, et unigenitus, ut solus ex deo genitus, proprie de vulva cordis ipsius, secundum quod et pater ipse testatur: eructavit cor meum sermonem optimum. ad quem deinceps gaudens proinde gaudentem (25) in persona illius: filius meus es tu, ⟨inquit,⟩ ego hodie genui te, et: ante luciferum genui te. sic et filius ex (236/1) sua persona profitetur patrem in nomine sophiae: dominus condidit me initium viarum in opera sua; ante omnes autem colles generavit me. nam si hic quidem sophia videtur dicere conditam se a domino in opera et vias (5) eius, alibi autem per sermonem ostenditur omnia facta esse et sine illo nihil factum, sicut et rursum: sermone eius caeli confirmati sunt et spiritu eius omnes vires eorum, utique eo spiritu, qui sermoni inerat, apparet unam eandemque vim esse nunc in nomine sophiae nunc in appellatione (10) sermonis, quae

6 illi ⟨simul.⟩ exinde *Pam*; 7 patrem MF, parem P *vulgo* [patrem P, t *litt. a libr. extincta*]; *lacunam signavit Kr* : generatur *intercidisse putat* (*cf. 236/15*), de quo procedendo ⟨fit⟩ filius, factus est primogenitus *Kr in ed. min.*; 12 gaudentem in *Pam*: gaudenti in PMFR[1], gaudentem R[3]; 13 inquit *addidit Kr*; et ante luciferum genui te *om.* F; 16 in opera sua RF, in sua opera M (*corr. m. 1*) P; 22 sermone M.

initium accepit viarum in dei opera et quae caelum confirmavit, per quam omnia facta sunt et sine qua nihil factum est. nec diutius de isto, quasi non ipse sit sermo et in sophiae et in rationis et in omnis divini animi et spiritus nomine, qui filius factus est dei, de quo prodeundo (15) generatus est. ergo, inquis, das aliquam substantiam esse sermonem, spiritu et sophiae traditione constructam? plane. non vis enim eum substantivum habere in re per substantiae proprietatem, 〈 ne 〉 ut res et persona quaedam videri possit et ita capiat secundus a deo constitutus duos efficere (20) patrem et filium, deum et sermonem. quid est enim, dicis, sermo, nisi vox et sonus oris et, sicut grammatici tradunt, aer offensus, intellegibilis auditu, ceterum vacuum nescio quid et inane et incorporale? at ego nihil dico de deo inane et vacuum prodire potuisse, ut non de inani et vacuo prolatum (25), nec carere substantia quod de tanta substantia processit et tantas substantias fecit; fecit enim et ipse quae facta sunt (237/1) per illum. 〈 aut 〉 quale est, ut nihil sit ipse, sine quo nihil factum est, ut inanis solida et vacuus plena et incorporalis corporalia sit operatus? . . .

28 est *om.* P (*add.* R *in mg. ex Hirsaugiensi*); 29 dare = *annehmen, ut videtur* (*adn. Kr*); 30 plane. non vis enim MFGR, plane novimus P; 32 ne *add. Kr, qui adnotat*: 'ut res et persona *intellege*: *sicut res ita et persona*'; 33 capiat R[3]: capias PMFR[1]; 34 dicis *Kr*: dices PMF; 35 sermo R: sermoni P (*corr.* R) MF; 38 prodire R: prodere P (*corr.* R) MF; 39 quod de tanta substantia *om.* P (*add.* R *ex Hirsaugiensi*); 40 tantas substantias RF, tanta substantias M (tantas *m. 3*), tanta substantia P (*corr.* R); 41 aut *addidit Kr.*

Vertamur nunc ad prima nostri capitis verba. Agitur ibi de sententiis, quae quid sibi velint, satis apparet. Enumerantur sermonis nascentis quasi singula momenta scripturae verbis comprobata:

conditus — sophiae : dominus — viarum,
dehinc — effectum : cum — aderam illi,

sequentia Tertulliani ipsius confirmantur verbis, de quibus infra plenius disputabitur; sequitur:

primogenitus: ut ante omnia genitus,
et unigenitus: ut solus ex deo genitus.

Ante omnia restituenda est sententia 'eum pa(t)rem sibi faciens'. 'de quo', h. e. de patre, nemo dubitabit, quin referendum sit ad 'eum', in quo igitur significatio 'pater', inest; 'pater' cum sit huius sententiae obiectum, subiectum esse non potest, quare 'filius' subiectum est. Si consideramus id, quod de bona sententiarum compositione modo diximus, vel inde 'filium' esse subiectum intellegi potest. Repetamus:

'conditus — sophiae' : id est filius.
'dehinc — effectum' : id est filius.
'exinde — faciens' : id est filius.

A filio patrem filio parem factum esse absurdum est; 'patrem' igitur scribendum est, quod omnes praebent codices, quod et MP codicum archetypus praebuit, solus P codicis librarius seu m. 2. (plane hoc distinguere non potui) 'patrem' in 'parem' correxit, quem R aliique sunt secuti. Quamquam audacius haec verba 'eum patrem sibi faciens' dicta sunt, tamen mutare nolim; cf. c. X (241/14—12/32) 'non ergo ero pater, quia filium non habeo, qui facit patrem.' et ibidem (240/19—12/10) 'atquin pater filium facit et patrem filius'. Sed Kroymannus verba 'de quo procedendo filius factus est' mutare voluit. Recte intellexit toti enuntiato verbum deesse ad quod participia se adiungerent, cognovitque 'exinde et' nihil novi afferre, quamquam necessario commemorandum erat filium ex patre exiisse; in ed. mai. igitur 'filius factus est' verba sententiae primariae reddidit et ante ea lacunam signavit, quod fieri non posse satis apparet: 'de quo procedendo filius factus est' servandum est, quod respondet sententiae 'eum patrem sibi faciens'. Nec felicius in editione minore restituere conatus est contextum: 'de quo procedendo <fit> filius, factus est primogenitus ...' De ea enim re cum maxime agitur, quod filius ille factus est, non quod primogenitus est et unigenitus. Alio loco mendum quaerendum est. Cum, ut iam diximus, verbis 'exinde eum patrem sibi faciens' nihil novi afferatur, haereo in voce 'exinde'. Si cum Reitzensteinio 'exinde' mutaverimus in 'exiit', omnes difficultates e medio sublatae erunt. Sententia nunc est: 'exiit eum patrem sibi faciens, de quo procedendo filius factus est, primogenitus ...' Ea re, quod exit ὁ λόγοϲ, ὁ νοῦϲ

fit pater, ὁ λόγοϲ filius[1]), antea unum erant; cf. 236/14 (8/27) 'filius factus est dei, de quo prodeundo generatus est'. Nunc participia, quae sequuntur, egregie se adiungunt. Ad confirmandam hanc coniecturam cf. c. XXII (268/26—35/5): 'ego enim ex deo exivi et veni, — et tamen non separamus, licet exisse dixerit, ut quidam arripiunt huius dicti occasionem; exivit enim a patre ut radius ex sole ...'[2]), c. XXIII (273/8—38/20): 'sciens Iesus omnia sibi tradita a patre esse et se ex deo exisse et ad deum vadere. sed Praxeas ipsum vult patrem de semetipso exisse ...', c. XXIV (274/25—39/31): 'quia ego ex deo exivi et veni ...'

Iam vertamur ad locum p. 19/29 (236/15—8/28)[3]): Priusquam singula tractemus, rem ipsam explicemus. Egregie Harnackius (l. c. II 285 adnot. 1): «Die Gottheit ist der substantia, dem status, der potestas, der virtus nach eine, es gibt nur eine göttliche Substanz ... In dieser einen Substanz ist keine separatio oder divisio oder dispersio oder diversitas, wohl aber eine distributio, distinctio, dispositio, dispensatio, kurz eine οἰκονομία, eine differentia per distinctionem. Daher ist die unitas substantiae keine singularitas numeri — Gott ist nicht unicus et singularis —, sondern sie umfaßt drei nomina resp. species, formae, gradus, res, personae ... Keine von ihnen ist eine bloße Eigenschaft, vielmehr ist jede eine substantiva res ex ipsius dei substantia ... Die(se) drei Gradus oder Personen unterscheiden sich durch die proprietas und die conditio, nicht aber durch die Substanz». Persaepe substantiae voce utitur Tertullianus, exempli gratia nostr. libr. c. II

---

[1]) Cf. Philonis de vita Mos. II (127) διττὸϲ γὰρ ὁ λόγοϲ ἔν τε τῷ παντὶ καὶ ἐν ἀνθρώπου φύϲει ... ἐν ἀνθρώπῳ δ' ὁ μέν ἐϲτιν ἐνδιάθετοϲ, ὁ δὲ προφορικόϲ, <καὶ ὁ μὲν> οἷά τιϲ πηγή, ὁ δὲ γεγωνὸϲ ἀπ' ἐκείνου ῥέων. et de Abr. 83 διὰ μὲν γὰρ τῆϲ ἠχοῦϲ τὸν προφορικὸν λόγον αἰνίττεται, διὰ τοῦ πατρὸϲ δὲ τὸν ἡγεμόνα νοῦν — πατὴρ γὰρ ὁ ἐνδιάθετοϲ φύϲει τοῦ γεγωνοῦ πρεϲβύτερόϲ γε ὤν ... v. p. 3.

[2]) Fortasse 'exivit' et nostro loco restituendum est, nisi quod facilius explicatur exiñ ex exiit ortum.

[3]) Ad Kroymanni apparatum criticum addo ad 19/31 (236/17—8/30) R² in mg. praebere: 'alias, non vis enim ... in se ...', ad 19/32 (236/18—8/31): et res P, *libr. corr. in* ut res.

(229/26—3/17)[1]): 'quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiae scilicet unitatem, et nihilominus custodiatur oikonomiae sacramentum, quae unitatem in trinitatem disponit, tres dirimens <et> patrem et filium et spiritum sanctum, tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie, unius autem substantiae . . .'; c. III (231/18—4/28): 'tam consortibus substantiae patris' et paulo infra (c. IV inc.): 'ceterum qui filium non aliunde deduco, sed de substantia patris...', c. XXVI (278/13—43/4): 'quod<si> deus dei tamquam, substantiva res, non erit ipse deus, sed hactenus deus, qua ex ipsius dei substantia'[2]); cf. praeterea Adv. Hermog. c. III (128/21) 'scilicet deus substantiae ipsius nomen, id est divinitatis, dominus vero non substantiae, sed potestatis. substantia semper fuit cum suo nomine, quod est deus'. Similia et Hippolytus affert Εἰϲ τὴν αἵρεϲιν Νοήτου τινόϲ c. VII (Migne 10, 813 A): Τὸ γὰρ 'ἐϲμὲν' οὐκ ἐφ' ἑνὸϲ λεγόμενον, ἀλλ' ἐπὶ <δυοῖν> δύο πρόϲωπα ἔδειξεν, δύναμιν δὲ μίαν[3]). C. XIV (821 A) Δύο μὲν οὐκ ἐρῶ θεούϲ, ἀλλ' ἢ ἕνα, πρόϲωπα δὲ δύο, οἰκονομίᾳ[4]) δὲ τρίτην τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματοϲ. Nunc ad Novatianum. In libri De Trinitate capite XXVII (Migne 3, ed. 2, 1865, p. 966 B) legimus scriptum: 'At cum ego dicit, deinde patrem infert, dicendo ego et pater proprietatem personae suae, id est filii, a paterna auctoritate discernit atque distinguit, non tantummodo de sono nominis, sed etiam de ordine dispositae potestatis, . . . Unum . . . neutraliter positum societatis concordiam, non unitatem personae sonat'. C. XXXI (978 A): 'Ex quo . . . sermo filius natus est: qui non in sono percussi aeris aut tono coactae de visceribus

---

[1]) De hoc loco infra disputaturus sum (p. 24).

[2]) Harnackius credit distinctionem inter personam et substantiam ex iuris consultorum usu venisse: pluribus personis una substantia inesse potest, uni personae plures substantiae (cf. cap. XXVII et Harnackium l. c. I. 555).

[3]) Sic haec verba a Reitzensteinio restituta sunt, cum obscura sit codicum lectio: Τὸ γὰρ 'ἐϲμὲν' οὐκ ἐφ' ἑνὸϲ λέγεται, ἀλλ' ἐπὶ δύο πρόϲωπα ἔδειξεν . . .

[4]) Reitzensteinii coniecturam, qui codicum lectionem οἰκονομίαν mutavit in οἰκονομίᾳ, in contextum recepi.

vocis accipitur, sed in substantia prolatae a deo virtutis agnoscitur ... (981 A) unus deus ostenditur verus et aeternus pater: a quo solo haec vis divinitatis emissa, etiam in filium tradita et directa, rursum per substantiae communionem ad patrem revolvitur'. Egregie etiam ad nostrum locum quadrant, quae Hippolytus in Philosoph. X 33 dicit: Οὗτος οὖν μόνος καὶ κατὰ πάντων θεὸς λόγον πρῶτον ἐννοηθεὶς ἀπογεννᾷ, οὐ λόγον ὡς φωνήν, ἀλλ' ἐνδιάθετον τοῦ παντὸς λογισμόν. Τοῦτον μόνον ἐξ ὄντων ἐγέννα· τὸ γὰρ ὂν αὐτὸς ὁ πατὴρ ἦν, ἐξ οὗ τὸ γεννηθέν. Αἴτιον τοῖς γιγνομένοις λόγος ἦν, ἐν ἑαυτῷ φέρων τὸ θέλειν τοῦ γεγεννηκότος, οὐκ ἄπειρος τῆς τοῦ πατρὸς ἐννοίας· ἅμα γὰρ τῷ ἐκ τοῦ γεννήσαντος προελθεῖν, πρωτότοκος τούτου γενόμενος φωνή, ἔχει ἐν ἑαυτῷ τὰς ἐν τῷ πατρὶ προεννοηθείσας ἰδέας, ὅθεν κελεύοντος πατρὸς γίνεσθαι κόσμον τὸ κατὰ ἓν λόγος ἀπετελεῖτο ἀρέσκων θεῷ.

Sed iam ad rem ipsam vertamur. Auctor demonstrare voluit 'unam eandemque vim esse nunc in nomine sophiae nunc in appellatione sermonis'[1]), sermonem esse 'et in sophiae et in rationis et in omnis divini animi et spiritus nomine, qui filius factus est dei, de quo prodeundo generatus est'. Ad haec adversarius: concedis[2]) igitur λόγῳ esse substantiam — quod quidem ipse adversarius negat; utitur verbo 'das', quia auctor hic quodammodo monarchiae destructionem infert (concedit) —, quae substantia constat ex spiritu (πνεύματι) et sophia (παραδεδομένῃ σοφίᾳ)[3])? Tertullianus respondet: 'plane, concedo hoc', idque ipsum confirmat verbis exeuntis capitis (237/15—9/23): 'quanto magis quod ex ipsius substantia emissum est sine substantia non erit? quaecumque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam ...' Scribi nunc non potest: 'novimus eum substantivum habere', quae verba sensu carerent, sed incipiendum est a 'non vis enim'; 'enim' ut paulo infra ('fecit enim et ipse quae facta sunt per illum') ita et hoc loco adversativum fere videtur esse, nisi forte, quod praestat, verbum

[1]) Cf. Philon. leg. allegor. I 65 (l. c. I 78, 1): αὕτη ἐκπορεύεται ἐκ τῆς 'Εδέμ, τῆς τοῦ θεοῦ σοφίας· ἡ δέ ἐστιν ὁ θεοῦ λόγος.

[2]) Ad 'das' = 'concedis' velim conferas Cic. Tusc. Disp. I 11 (§ 25): 'dasne aut manere animos post mortem aut morte ipsa interire? Do vero'.

[3]) Cf. c. VIII (238/11—10/12): 'sermo autem spiritu structus est'.

aliquod mente supplendum est: 'hoc non credis' seu 'hoc impugnas'. 'in re' corruptum est, sed ne 'in se' quidem veram praebet lectionem, quare Reitzensteinius proponit 'nisi', qua coniectura recepta fortius premitur 'per substantiae proprietatem'. Scribit igitur: cὺ γὰρ οὐ θέλειc οὐcιώδη νομίζειν αὐτὸν εἰ μὴ διὰ τὸ ἰδίαν ἔχειν οὐcίαν = non vis enim eum substantivum habere nisi per substantiae proprietatem; iam pergunt codices 'ut (ὥcτε) res (= *etwas Materielles*, cf. 278/14—43/5) et persona quaedam videri possit et ita capiat[1]) secundus . . .' Omnia egregie in Graecum sermonem verti possunt: cὺ γὰρ οὐ θέλειc οὐcιώδη νομίζειν αὐτὸν εἰ μὴ διὰ τὸ ἰδίαν ἔχειν οὐcίαν, ὥcτε εἶναι τὶ καὶ πρόcωπον εἶναι καὶ δύναcθαι δεύτερον ὄντα ἀπὸ θεοῦ δύο ποιεῖν πατέρα καὶ υἱόν, θεὸν καὶ λόγον. τί γάρ, φῄc, λόγοc ἐcτίν, εἰ μὴ φωνὴ καὶ ἐκ cτόματοc ἦχοc καὶ ὡc εἴποιεν ἂν γραμματικῶν παῖδεc ἀὴρ πεπληγμένοc, ἀκοῇ μὲν αἰcθητόc, κενὸc δὲ καὶ ἀcώματοc; ἀλλ' ἐγὼ ἐκ θεοῦ κενόν τι προφέρεcθαι οὔ φημι καθ' ὅcον οὐκ ἀπὸ κενοῦ προφερόμενον οὔτε οὐcίαν οὐκ ἔχειν ὃ ἐξ αὐτῆc τῆc οὐcίαc προφέρεται καὶ πᾶcαν ποιεῖ οὐcίαν. In sequentibus (237/1—9/9) Kroymannus 'aut' addidit, quod ferri non potest, quia sententiarum ordinem deleret; 'iam quale' scribere possumus: «Wenn das Vorherige bewiesen ist, was würde es dann für ein Unsinn sein, daß . . .»

Priusquam hoc loco pergamus, mihi liceat pauca disserere de loco, quem laudavimus supra: Capitis II 230/1—3/21, ubi scriptum legimus: '. . . dum unicum (229/25) deum non alias putat credendum, quam si ipsum eundemque et patrem et filium et spiritum dicat; quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiae scilicet unitatem, et nihilominus custodiatur oikonomiae sacramentum, quae unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens (230/1) patrem et filium et spiritum, — tres autem non statu, sed gradu, nec

6 dirigens = *contendens esse Kr*; 7 spiritum PM, spiritum sanctum FR *vulgo*; *adnotat Kr*: '*parenthesin indicavi, sed nescio, an duplex verborum recensio hic sit agnoscenda.*'

---

[1]) In tertiae ed. adn. R haec scripsit: Mutavimus 'capias' in 'capiat', ut sit 'capiat secundus a deo constitutus duos efficere' pro eo, quod ut fiat sive contingat, ut . . . efficiat . . . Sic Graecorum consuetudinem circa usum verbi ἐνδέχεται imitari solet, quem ad modum ante diximus multis in locis. R[2] *in mg.*: *Lege* capiat *hoc est* valeat, possit.

substantia, sed forma, nec potestate, sed specie, — unius autem substantiae et unius status et unius potestatis, quia unus deus, ex quo et gradus isti et formae et species in (5) nomine patris et filii et spiritus sancti deputantur'.

Tam egregie auctor construxit sententias, ut omnes inter se partes respondeant. Si cum Kroymanno mutaremus, totam deleremus figuram. Sex membra posuit Tertullianus, quorum tria (status, substantia, potestas) omnium sunt communia, tribus rebus (gradu, forma, specie) differunt inter se pater, filius, spiritus sanctus. Priore in sententia singula singulis opponuntur, cum sequentibus in sententiis ea membra, quae inter se cohaerent, coniungantur[1]). In adnotatione ad 229/29 scripsit Kroymannus 'dirigens = contendens esse', sed nescio, an hoc rectum non sit. Hanc significationem apud nostrum auctorem non repperi. Fortasse 'dirimens' scribendum est. Magnas difficultates et 'deputantur' (230/5) mihi praebet, ita ut quod codices afferunt, genuinum esse mihi non videatur. Reitzensteinius proponit: 'deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomina patris et filii et spiritus sancti deputantur'. Cf. ad hoc Adv. Hermog. c. XXXVI (*Kr* 165/22): 'quis enim tibi concedit motum in secundam partem substantiae deputare . . .' Versu 1 certe 'spiritum sanctum' cum FR scribendum est concinnitatis causa, quia respondet verbis, quae modo attuli 'in nomina . . . spiritus sancti deputantur'. Scripserim igitur: 'tres dirimens(?) <et> patrem et filium et spiritum sanctum, tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie, unius autem substantiae et unius status et unius potestatis, quia unus deus, ex quo et gradus isti et formae et species in nomina patris et filii et spiritus sancti deputantur'.

Sed revertamur ad caput VII. Antecedentibus, quae tractavimus, confirmatis pergit auctor 'quale est, ut nihil sit ipse', qui omnia solida, plena, corporalia reddidit? 'nihil . . . potest fieri per id, quod vacuum et inane est'. filius dei vacua res esse

[1]) Velim conferas ad nostrum locum Apolog. c. XXI (Oehl. I 199, 7): 'Ita et de spiritu spiritus et de deo deus modulo alternum numerum, gradu non statu fecit'.

non potest; cum in effigie dei constitutus sit secundum scripturam, in aliqua effigie, non in nulla constitutus est. ergo deus etsi spiritus est, tamen corpus est. 'spiritus enim corpus sui generis in sua effigie'. omnia invisibilia 'habent apud deum et suum corpus et suam formam, per quae soli deo visibilia sunt: quanto magis quod ex ipsius substantia emissum est sine substantia non erit?' Quam substantiam auctor personam dicit, filium nominat, secundum a patre defendit.

Capite VIII pergit auctor iniuria sibi obici se probolen aliquam introducere, ut Valentinum; neque enim 'ideo non utitur et veritas vocabulo isto et re ac censu eius, quia et haeresis utatur'; haeresis veritatem imitata est, non veritas haeresin; sermo est prolatus. Apud Valentinum προβολαί discernuntur atque separantur ab auctore, immo Aeon patrem nescit, desiderat nosse nec potest. Apud vera credentes solus filius novit patrem, cuius perficit voluntatem. 'quis enim (238/10—10/11) scit quae sint in deo, nisi spiritus, qui in ipso est?' Quia sermo spiritu structus est et corpus sermonis spiritus, sermo semper in patre est, numquam a patre separatus est. Pergit nunc auctor (238/16—10/17): 'haec erit probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus filium a patre, sed non separatum. protulit enim deus sermonem, quemadmodum etiam paracletus docet, sicut radix fruticem et fons fluvium et sol radium. (20) nam et istae species probolae sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. nec dubitaverim filium dicere et radicis fruticem et fontis fluvium et solis radium, quia omnis origo parens est et omne, quod ex origine profertur, progenies est, multo magis sermo dei, qui etiam proprie nomen filii accepit. (25) nec frutex tamen a radice nec fluvius a fonte nec radius a sole discernitur, sicut nec a deo sermo. igitur secundum horum exemplorum formam profiteor me duos dicere deum (239/1) et sermonem eius, patrem et filium ipsius. nam et radix et frutex duae res sunt, sed coniunctae; et fons et flumen duae species sunt, sed indivisae; et sol et radius duae formae sunt, sed cohaerentes. omne, quod prodit ex aliquo, secundum (5) sit eius necesse est, de quo prodit, non ideo tamen est separatum. secundus autem

ubi est, duo sunt, et tertius ubi est, tres sunt. tertius enim est spiritus a deo et filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice et tertius a fonte rivus ex flumine et tertius a sole apex ex radio. nihil tamen a (10) matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. ita trinitas per consertos et conexos gradus a patre decurrens et monarchiae nihil obstrepit et oikonomiae statum protegit'.

Ego antea offendi in 'tertius a fonte rivus ex flumine' (239/8—11/5); quod reliquis in exemplis per se ipsum intellegitur, id nostro loco non tam est perspicuum. Omnes dicent non ex flumine rivum prodire, sed ex rivo flumen. Ita restituere volui 'tertius a fonte flumen ex rivo', sed ea mutatione totum sententiarum ordinem delerem. Repetamus nostra verba (238/21—10/22) 'nec dubitaverim <patris probolen>[1]) filium dicere et radicis fruticem et fontis fluvium et solis radium ... nec frutex tamen a radice nec fluvius a fonte nec radius a sole discernitur, sicut nec a deo sermo'. Confertur igitur pater cum radice fonte sole, filius cum frutice fluvio radio. Deest nunc tertia rerum series, quibuscum conferatur spiritus sanctus, de quo agitur infra: 'tertius enim est spiritus a deo et filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice et tertius a fonte rivus ex flumine[2]) et tertius a sole apex ex radio'. Ut igitur pater cum primis, radice fonte sole, ut filius cum mediis, frutice flumine radio, ita spiritus confertur cum ultimis, fructu rivo apice. Ferri iam non potest illud 'spiritus a deo et filio', cum ceteris locis 'ex' scriptum legamus. Minime a radice et frutice fructus prodiit aut a sole et radio apex. Sed cum antea dixerit προβολήν esse patris filium, iam spiritum προβολήν fecit unius filii. Verbis 'a deo ex filio' minime obloquitur prior ille locus (c. IV 232/5—5/10), ubi legimus: 'quia spiritum non aliunde <de>puto quam a patre per filium'; sic fructum etiam a radice per fruticem venire

[1]) In codicum lectione aliquid deesse satis apparet. Cum toto hoc capite de probole agatur, illam ibi desidero vocem.

[2]) Flumen non significat ibi *Strom*, sed *das Fließende*. Auctori nostro, qui iam 239/2 (10/30) 'flumen' praebet, flumen et fluvius eandem habent notionem; vox fluvii, quia mature interierat, postea ab auctoribus denuo usurpata est eadem significatione ac flumen.

dixeris. Neque magis adversatur alter locus (c. II 229/11—3/2): 'qui (filius) exinde miserit secundum promissionem suam a patre spiritum sanctum'; προβολή enim est filii vel emissus a filio, qui tamen ipse emissus est a patre. Egregie igitur fallitur vir inter theologos doctissimus Fridericus Loofs, qui in libro praeclaro, qui inscribitur «Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte», (ed. 4, pag. 160, n. 8) laudato hoc Tertulliani loco addit: «Die processio spiritus 'a patre filioque' ist also im Abendlande uralt[1])». Nititur ille indocti scribae futili correctura, nisi piam fraudem dicere mavis. Tertullianus ipse trinitatem ita explicavit, ut tres personas aliam ex alia emanasse diceret. In confessione synodi Toletani (anni 400 aut 447 ?) primum legimus: 'paracletus a patre filioque procedens'; quam lectionem scriba restituendam putavit, cum 'tertius enim est spiritus a deo ex filio' iniuria mutaret in 'tertius ... a deo et filio'.

Sed unicum hunc locum, ubi labor noster, qui necessario plerumque minutis in rebus continetur, ad graviora ascendit, ut iam, quomodo dogma illud ecclesiae primum verba certaeque definitionis formulam invenerit, videre nobis videamur, ita quasi sicco pede transire equidem nolo. Quamquam si ultra tendere equidem conabor, me titubantibus, fortasse etiam errabundis gradibus hoc facturum probe scio. Videant igitur alii. Mihi bene intellegi videtur, cur nascenti dogmati hanc maxime formulam elegerint, hac imagine vel hac cogitandi ratione persuasionem suam optime intellegere sibi visi sint. Nondum poterant aliter ratiocinando trinitatem et unitatem coniungere nisi per emanationum (προβολῶν) seriem. Nondum enim exoleverat mira illa vis, quam etiam adversariorum cogitationibus intulerant Gnostici, id quod ipse docet Tertullianus. Illi autem ex religionibus popularium suorum hanc quasi formulam transtulerant et a philosophis assumpserant, quibus argumentis multitudinem unitati non repugnare defenderent. Cum una harum religionum, Aegyptiorum dico, paulo notior sit, hanc eligo, ut exemplis quid sentiam,

[1]) Agitur de 'patre filioque' Augustini, quod postea magni erat momenti in certamine Christianorum orientis et occidentis.

demonstrem[1]). Exemplorum enim omnia plena, cf. e. g. locum, quem laudat Brugschius (Rel. u. Mythol. d. alt. Aegypter 427): «dein Auswurf ward (du hast dich ausgeworfen, ausgegossen) zum Gotte Schu und dein Ausguß (Erguß) zur Göttin Tafnut». Per emanationem (ἀπορροήν vel προβολήν) ex deis dei nascuntur, velut Atum, qui ipse est Re, ex se 'producit' Ogdoada deorum, Thot profert ex se quattuor deos, qui ipsi in quattuor deorum paria abeunt; Re emittit Schu et Tefnet; omnes tamen cum primo illo deo unum efficiunt. Optime hoc illustratur inscriptione quadam a viro doctissimo Maspero nuper edita (Recueil des travaux relatifs à la philologie et à l'archéologie égyptiennes et assyriennes XXIII 196), cuius verba sic ille vertit: 'je suis un qui devient deux, je suis deux qui devient quatre, je suis quatre qui devient huit, je suis un après celui-là'[2]). Tales diversarum fortasse religionum doctrinas Gnostici illi aemulabantur, excolebant autem eas Graecorum maxime doctrinam secuti. Nam qui ea aetate Platonis sectae adhaerebant, etsi unum deum proclamabant, tamen a Timaeo magistri sui profecti in ipsa unitate multitudinem quodammodo constituebant, velut Hermetici tractatus undecimi (p. 85 Parthey) auctor, qui θεὸν αἰῶνα κόσμον χρόνον γένεσιν quasi personas introducit: ὁ θεὸς αἰῶνα ποιεῖ, ὁ αἰὼν δὲ τὸν κόσμον, ὁ κόσμος δὲ τὸν χρόνον, ὁ χρόνος δὲ τὴν γένεσιν ... ὁ οὖν αἰὼν ἐν τῷ θεῷ, ὁ δὲ κόσμος ἐν τῷ αἰῶνι, ὁ δὲ χρόνος ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ δὲ γένεσις ἐν τῷ χρόνῳ ... πηγὴ μὲν οὖν πάντων ὁ θεός, οὐσία δὲ ὁ αἰών, ὕλη δὲ ὁ κόσμος κτλ., cf. p. 94 ἔστι τοίνυν εἰκὼν τοῦ θεοῦ ὁ αἰών, τοῦ δὲ αἰῶνος ὁ κόσμος, τοῦ δὲ κόσμου ὁ ἥλιος, et tamen proclamat εἷς ὁ θεός (p. 92). Sed haec doctioribus exponenda relinquimus, nobis satis sit, si unum eumque gravissimum Tertulliani locum recte explicasse et emendavisse videbimur.

[1]) Usus sum his libris: Reitzenstein, Zwei relig. gesch. Fragen, 1901; id., Poimandres, 1904; Dümichen, Gesch. d. alt. Aeg. 1879; Erman, Aegypten, 1885; id., Die äg. Religion, 1905; Brugsch, Rel. u. Mythol. d. a. Aeg. 2. voll., 1885, id., Die Aegyptologie, 1891. Ebers, Die Körperteile im Altägypt. in Abh. d. bayr. Ak., philos.-philol. Kl. 1901, vol. XXI.

[2]) Aliis locis reliqui dei vel Ogdoas ipsa membra prioris dei efficiunt, cf. Reitzensteinii Poimandri 62 sqq.

De capitibus XIV—XV.

XIV. Et hoc caput, quod inter difficillima nostri libri numerandum est, totum in medium proferre variis additis lectionibus mihi liceat:

(250/3—19/30) Adhuc et illa nobis regula adsistit duos vindicantibus patrem et filium, quae invisibilem deum determinavit. cum (5) enim Moyses in Aegypto desiderasset domini conspectum dicens: si ergo inveni gratiam coram te, manifesta mihi te, ut cognoscenter videam te: non potes videre, inquit, faciem meam; non enim videbit homo faciem meam et vivet, id est: morietur qui viderit. invenimus (10) autem et a multis deum visum et neminem tamen eorum, qui eum viderant, mortuum, visum quidem [deum] secundum hominum capacitates, non secundum plenitudinem divinitatis. nam ⟨et⟩ patriarchae deum vidisse referuntur, ut Abraham et Iacob, et prophetae, ut Esaias, ut Ezechiel, et (15) tamen mortui non sunt. igitur aut mori debuerant, si eum viderant, — deum enim nemo videbit et vivet — aut, si deum viderunt et mortui non sunt, scriptura mentitur deum dixisse: faciem meam homo si viderit, non vivet. aut ⟨si⟩ scriptura ⟨non⟩ mentitur, neque cum invisum (20) neque cum visum deum profert, iam ergo alius erit qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri, qui videbatur, et consequens erit, ut invisibilem patrem intelle-

2 quae R^3: quem PMFR^1; determinavit FR, degerminavit PM; 6/7 non enim — faciem meam *om.* F; 8 autem *Kr*: enim PMF; 10 deum *seclusit Kr*; 11 et *addidit Kr*; 13 mortui *om.* F; 14 nemo *om.* F; 17 aut ⟨si⟩ scriptura ⟨non⟩ mentitur *Kr*: aut scriptura mentitur PMF; neque cum invisum neque cum visum M, neque eum invisum neque eum invisum [*puto mendum typographicum pro* visum] F, cum invisum aut cum visum P *vulgo*; 18 profert P, praefert MF, profert. iam *vulgo*.

gamus pro plenitudine maiestatis, visibilem vero filium agnoscamus pro modulo derivationis, sicut nec solem nobis contemplari (25) licet, quantum ad ipsam substantiae summam, quae est in caelis, radium autem eius toleramus oculis pro temperatura portionis, quae in terram inde porrigitur. hic ex diverso volet (251/1) aliquis etiam filium invisibilem contendere, ut sermonem, ut spiritum, et dum unam condicionem patris et filii vindicat, unum potius atque eundem confirmare patrem et filium. sed diximus scripturam differentiae patrocinari per visibilis et (5) invisibilis distinctionem. iam et illud adicient ad argumentationem, quod, si filius tunc ad Moysen loquebatur, ipse faciem suam nemini visibilem pronuntiarit, quia scilicet ipse invisibilis pater fuerit in filii nomine. ac per hoc sic eundem volunt accipi et visibilem et invisibilem, quomodo eundem (10) <et> patrem et filium, quoniam et paula supra, antequam faciem Moysi neget, scriptum sit dominum ad Moysen locutum coram, velut si quis loquatur ad amicum suum, non minus quam et Iacob: ego vidi, inquit, deum facie ad faciem. ergo visibilis et invisibilis idem; et quia idem utrumque, (15) ideo et ipse pater invisibilis, qua et filius, visibilis. quasi vero expositio scripturae, quae fit a nobis, filio competat <a> patre seposito in sua visibilitate. dicimus enim et filium suo nomine eatenus invisibilem, qua sermo et spiritus dei, ex substantiae condicione, [iam nunc et quia deus et sermo et (20) spiritus dei,] visibilem autem fuisse ante carnem eo modo, quo dicit ad Aaron et Mariam: et si fuerit prophetes in vobis, in visione cognoscar illi et in somnio loquar illi, non

30 iam *Kr*: nam PMF; 31 adicient MF, adiciunt P *vulgo*; 32 pronuntiarit *Kr*: pronuntiaret PMF; 35 <et> patrem *Kr*: patrem PMF; 36 neget *Kr*: negasset et (*ex* negạṣṣẹṭ et) PMF; 39 deum M, dominum PF; 41 quasi vero *Kr*: quasi non PMF; 42 a *add. Kr, defendit quae traduntur Eng sic distinguens*: quasi non . . . filio competat, patre seposito, in sua visibilitate; 43 visibilitate PMF, invisibilitate *Harrisius, quem sequuntur Pam Rig Oehlerus*; 45 iam nunc — spiritus dei *seclusit Kr*, ex substantiae condicione iam nunc, et quia deus [et sermo et spiritus dei] *Eng*; qua deus *Oehlerus*; 48 somnio PM, sompnis F.

quomodo Moysi: os ad os loquar illi, in specie, id est in veritate, et non in aenigmate, id (25) est non in imagine; sicut et apostolus: nunc videmus tamquam (252/1) per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. igitur cum Moysi servat conspectum suum et colloquium facie ad faciem in futurum, — nam hoc postea adimpletum est in montis secessu, sicut legimus in evangelio (5) visum cum illo Moysen colloquentem — apparet retro semper in speculo et aenigmate et visione et somnio deum, id est filium dei, visum, tam prophetis et patriarchis quam et ipsi adhuc Moysi. et ipse quidem dominus, si forte coram ad faciem loquebatur, non tamen, ut et homo faciem eius (10) videret, nisi forte in speculo, in aenigmate. denique si sic Moysi locutus esset dominus, ut et Moyses faciem eius comminus sciret, quomodo statim atque ibidem desiderat faciem eius videre, quam, quia viderat, non desideraret? quomodo aeque et dominus negat videri faciem suam posse, quam ostenderat, (15) si tamen ostenderat? aut quae est facies dei, cuius conspectus negatur? si erat quae visa est, — vidi, inquit Iacob, deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea — alia debet esse facies, quae, si videatur, occidit. aut numquid filius quidem videbatur, — etsi facie, sed ipsum hoc in (20) visione et somnio et speculo et aenigmate, quia sermo et spiritus nisi imaginaria forma videri non potest — faciem autem suam dicit invisibilem patrem? quis enim pater? non facies erit filii nomine auctoritatis, quam genitus a patre consequitur? non enim et de aliqua maiore persona congruit (25) dicere; 'facies mea est ille homo', et: 'faciem mihi praestat'? pater, inquit, maior me est.

49 illi *Gel*: illis PMF; 50 non in imagine M, non imagine PF; 55 secessu P, secessum MF; 57 somnio P, sompno MF; 60 ut et *Kr*: ut est PM, est F (ut *s. v. a m. alia*); 61 in aenigmate MF, et in aenigmate P *vulgo*; 62 esset *Kr*: est PMF; 64 quia viderat MF, si videret P; 66 si tamen ostenderat *om.* F; at quae *susp. Kr* [*scripsit in ed. min.*]; 67 negatur, si *vulgo*; *parenthesin indicavit Kr*: visa est? vidi *vulgo*; 70 *parenthesin indicavit Kr*; facie sed *Kr*: facies et F, facies sed PM; 71 somnio PM, somno F; 73 potest? faciem *vulgo*; patrem. quis *vulgo*; 74 non *Urs*: num PMF; 77 praestat. pater *vulgo*; me est PF, est me M.

ergo facies erit filii pater. (253/1) nam et scriptura quid dicit? spiritus eius persona Christus dominus. ergo si Christus persona paterni spiritus est, merito cuius spiritus persona erat, id est patris, eius faciem suam, ex unitate scilicet, pronuntiavit. mira res plane, an (5) facies filii pater accipi possit, qui est caput eius. caput enim Christi deus.

79 spiritus (*genetivum intellege*) eius persona *Kr* (*cf. adv. Marc. III 6*): spiritus personae eius PMF; 80 persona paterni spiritus *Kr*: personae paternae spiritus PMF; cuius spiritus *Urs*: spiritus cuius PMF; 81 persona PMF, personae *Iun*, *quem sequitur Oehlerus*; eius PMF, eum *Urs*, *quem sequuntur Rigaltius et Oehlerus*; 82 mira res *Urs*: mirarer PMF; 83 eius P, eius Xpi FM (*eras.* Xpi m. 1).

Iam ad interpretandum accingamur.

1. Dilucida est thesis (250/3—27 vel 19/30—20/22), quae deducitur ex interpretatione veteris testamenti, quam condiderunt Philo et qui ante eum fuerunt: deus ita est separatus et seiunctus ab homine, ut non ipse, sed per intermedium quendam cum eo loquatur. Hic est dei λόγος, dei filius, vicarius, legatus, mundi non solum creator, sed etiam conservator, qui per omnia meat (ut Stoicorum deus), prima omnium δυνάμεων, quem etiam σοφίαν dicere possis (cf. leg. allegor. I 65, l. c. I 78, 1; αὕτη ἐκπορεύεται ἐκ τῆς Ἐδέμ, τῆς τοῦ θεοῦ σοφίας· ἡ δέ ἐστιν ὁ θεοῦ λόγος); idem tamen minister dei est, idem Abrahae se visibilem praestitit. Audit imago dei vel qualitas, aliis tamen locis ut persona, ὑπόστασις inducitur, secunda quidem a deo, sed quam primam ille creavit (leg. all. III 175, l. c. I 151, 29: καὶ ὁ λόγος δὲ τοῦ θεοῦ ὑπεράνω παντός ἐστι τοῦ κόσμου καὶ πρεσβύτατος καὶ γενικώτατος τῶν ὅσα γέγονε). Singula nunc verba Tertulliani perpendamus. 'Adhuc', quod primo versu scriptum videmus, significat *zudem*, *überdies*; cf. De anima c. LVI (Reiff. 390/7): 'adhuc addam' aliosque locos (v. th. L. L. I 661/84; 662/30). Tum 'invenimus enim' (250/9—20/4) bene se adiungit, ut necesse non sit cum Kroymanno mutare in 'invenimus autem': *zudem hilft uns die Regel, die Gott als unsichtbaren bestimmt hat: wer ihn sieht, muß sterben; denn wir finden* ... Duae sententiae proponuntur e scriptura petitae: deus est invisibilis,

morietur qui illum viderit; 'invenimus ... et a multis deum visum et neminem tamen eorum, qui eum viderant, mortuum — visum[1]) quidem deum secundum hominum capacitates, non secundum plenitudinem divinitatis'. Patriarchae et prophetae, qui viderant eum, 'aut mori debuerant, si eum viderant, — deum enim nemo videbit et vivet — aut ... scriptura mentitur deum dixisse: faciem meam homo si viderit, non vivet'. Quibus verbis sententia conclusa est, alterum 'aut' (v. 19) adiungi non potest, plane enim sententiam deleret. Lectio codicum igitur recta non est. Ne Kroymanni quidem coniectura placere mihi potest, cuius animo certo observatus est locus Novatiani De trin. c. XV (Migne 939 B): 'Numquid ergo mentitur, cum ex hoc mundo ait, si homo tandummodo sit? Aut si non mentitur, non est ex hoc mundo'. Multo simplicior est mutatio, quam Reitzensteinius proposuit: 'haud mentitur scriptura' vel 'scriptura haud mentitur, neque cum invisum neque cum visum deum profert: iam ergo alius ...' Quod Cluniacensis codicis archetypus praebuisse videtur[2]). Sententia principalis affirmativa fuisse non potest, cum alioquin 'neque' in M codice non intellegatur: 'aut scriptura mentitur, neque cum invisum neque cum visum deum profert' absurdum est, praesertim cum re vera scriptura modo visibilem, modo invisibilem deum proferat. Cluniacensis lectionem dicere contra sententiam P codicis librarius animadvertisse videtur, qui 'neque — neque' extinxit, 'aut' substituit; 'eum', quod Florentinus bis affert, nihil nisi lapsum calami esse nemo negabit; 'profert', quod P praebet, servandum est contra 'praefert' reliquorum codicum. Ad nostrum locum velim conferas Novatiani l. l. XVIII (Migne 946 B, C): 'Ecce idem Moyses refert alio in loco, quod Abrahae visus sit deus. Atqui idem Moyses audit a deo, quod nemo hominum deum videat et vivat. Si videri non potest deus, quomodo visus est deus? aut si visus est, quomodo videri non potest? Nam et Ioannes,

[1]) Ita interpungere velim; hoc quasi in parenthesi superadditum est. Ad haec verba spectat sententia (v. 22): 'ut invisibilem patrem intellegamus pro plenitudine maiestatis, visibilem vero filium agnoscamus pro modulo derivationis.'

[2]) Cluniacensis ipse certo iam corruptelam praebuit.

Deum nemo, inquit, vidit unquam. Et apostolus Paulus: Quem vidit hominum nemo nec videre potest. Sed non utique scriptura mentitur: ergo vere visus est deus. Ex quo intellegi potest, quod non pater visus sit, qui nunquam visus est, sed filius, qui et descendere solitus est et videri, quia descenderit'. Iam ergo alius est qui videbatur, alius qui non videbatur, visibilis est filius pro modulo derivationis, invisibilis est pater pro plenitudine maiestatis.

2. Occupationis figurae usus artificio quae contra haec protulerant haeretici Tertullianus tamquam prolatum iri expectet, ipse profert et redarguit; sed obscura sunt verba illa 251/3—4 (20/25—26): 'sed diximus...' Haeretici duas res obstare affirmant: a) filium et ipsum, ut sermonem, ut spiritum invisibilem esse oportet. b) si ille tum ad Moysen loquebatur, de se ipse dixit: 'non videbit homo faciem meam'. Ergo distinctio vera non est; ambo et visibiles et invisibiles sunt, unum igitur sunt. Post 'et filium' (251/3) igitur Reitzensteinius lacunam signat; desiderat enim: '⟨falso igitur patrem quidem per filium manifestatum contendimus⟩ et diximus...' Ad quod bene se adiungit: 'nam' (mutatione opus non est) 'et illud adicient...' Sequitur alterum illud haereticorum argumentum, quod concluditur verbis: 'ergo visibilis et invisibilis idem; et quia idem utrumque, ideo et ipse pater invisibilis, qua et (ᾗ καὶ) filius, visibilis'; sed praestat scribere 'et quia idem utrumque (*scil. visibilis et invisibilis*), ideo et ipse pater invisibilis, qui et filius visibilis'[1]): καὶ ὅτι ὁ αὐτὸς ἀμφότερόν ἐστιν, ὁ αὐτός ἐστι πατὴρ ἀόρατος, ὃς καὶ υἱὸς ὁρατός.

Haec igitur iam refutat Tertullianus: 'quasi non....' Iniuria haec verba Kroymannus mutavit in 'quasi vero'; 'quasi non' ita ut duae negationes affirmativam reddunt sententiam: 'sed nostra expositio competit...' Melius hoc apparet, si scribimus parva mutatione: 'quasi non ⟨et⟩ expositio scripturae, quae fit a nobis, filio competat'. Iam illa 'patre seposito in sua visibilitate' utique absurda sunt; illepida est Engelbrechtii interpunctio, qua scripsit: 'filio competat, patre se-

[1]) Cf. cap. XV. p. 253/22 (22/29): 'ut idem sit pater invisibilis ante carnem qui et filius visibilis in carne?'

posito, in sua visibilitate'. Egregia Harrisii est lectio: 'patre seposito in sua <in>visibilitate': χωρὶϲ ὄντοϲ (ἀποτετμημένου) τοῦ πατρὸϲ ἐν τῇ ἀορασίᾳ. De patre, qui semper est invisibilis, non agitur. Multo difficilior constructio apud Kroymannum est: 'quasi vero ... filio competat <a> patre seposito in sua visibilitate: *Als ob unsere Interpretation den Sohn meinte* (*sie meint ihn aber nicht*), *losgelöst vom Vater und darum sichtbar*. Sic enim 'sepositus' idem esset ac 'divisus', quod probare non possum exemplis; 'in sua visibilitate' non haberet, ad quod referretur. Et ut hoc efficeret, Kroymannus 'non' in 'vero' mutavit! — Pergamus nunc: λέγομεν γὰρ καὶ τὸν υἱὸν αὐτὸν καθ' ἑαυτὸν (suo nomine) ἀόρατον, καθ' ὅτι λόγοϲ ἐϲτὶ καὶ πνεῦμα θεοῦ, τουτέϲτι τῇ οὐϲίᾳ, ἣν ἔχει ὡϲ θεὸϲ καὶ λόγοϲ καὶ πνεῦμα θεοῦ. Quo additamento in memoriam revocat caput VII, quo exposuit λόγον θεοῦ et πνεῦμα θεοῦ substantiam habere oportere. Scribendum igitur est: 'dicimus ... ex substantiae condicione, quam habet[1]), quia deus et sermo et spiritus dei'. In sequentibus difficultas nulla est: 'os ad os loquar illi' adimpletum est in montis (Tabor) secessu; antea Christus in speculo et aenigmate et visione et somnio videbatur. Si Moyses antea faciem eius vidisset, quomodo desideraret faciem eius videre, quomodo deus faciem suam videri posse negat, si ostenderat? Nunc (252/15—21/29) nihil sequitur nisi 'aut quae est facies dei' ut saepius 'aut quale est', quod confirmatur etiam sequenti: 'aut numquid filius ...': ἢ τί ἐϲτι θεοῦ πρόϲωπον, ὃ ὁρᾶν οὐκ ἔξεϲτιν; εἴ τι ὤφθη, — εἶδον, ἔφη Ἰακώβ, (Gen. XXXII 30), θεὸν πρόϲωπον πρὸϲ πρόϲωπον, καὶ ἐϲώθη μου ἡ ψυχή — ἕτερον ὀφείλει εἶναι τὸ πρόϲωπον, ὃ ὁρώμενον ἀποκτείνει. Ἢ υἱόϲ γε μὲν ἑωρᾶτο, — εἰ καὶ κατὰ πρόϲωπον, ἐν γ' ὁράϲει καὶ ὀνείρατι καὶ κατόπτρῳ καὶ αἰνίγματι, ὅτι ὁ λόγοϲ καὶ τὸ πνεῦμα εἰ μὴ φανταϲτικῷ εἴδει ὁρᾶϲθαι οὐ δύναται — πρόϲωπον δὲ ἑαυτοῦ λέγει τὸν πατέρα ἀόρατον; τίϲ γὰρ ὁ πατήρ; ἆρ' οὐ πρόϲωπον ἔϲται τοῦ υἱοῦ κατὰ τὸ ἀξίωμα, ὃ γεννηθεὶϲ

[1]) 'habent', quod pro 'habet' in contextum invasisse videtur, 'nunc' coniunctione permutatum est. Cf. Catulli LXII 13, quo loco O 'hūc' praebet pro 'habent' (hn̄t, G).

ἐκ τοῦ πατρὸς ἔλαβεν; ἢ οὐ περὶ οἱουδήτινος μείζονος κατ' ἀξίωμα ἔστι λέγειν· 'πρόσωπόν μου ἐκεῖνος ὁ ἄνθρωπός ἐστιν' καὶ 'πρόσωπόν μοι παρέχει'; ὁ πατήρ, φησί (Ev. Ioh. XIV 28), μείζων μου ἐστιν. ἆρ' οὐ πρόσωπον ἔσται υἱοῦ ὁ πατήρ; τί γὰρ λέγει καὶ ἡ γραφή; πνεύματος αὐτοῦ πρόσωπον Χριστὸς κύριος. Ultima verba ita ut Kroymannus ea constituit, verti. Sed neque sensui sic satisfeci neque loco Lamentationum Ier. IV 20, ubi traditur: Πνεῦμα προσώπου ἡμῶν Χριστὸς Κύριος'[1]). Deum faciem esse filii[2]) ex toto nostro capite apparet: (250/7—20/2) 'non potes videre, inquit, faciem meam; non enim videbit homo faciem meam et vivet...'; hoc si filius dicit, qui tamen videbatur, non corporis sui proprie faciem dicit, sed aliud quoddam. Facies igitur filii est pater: ut de aliqua maiore persona dicere possumus: 'facies mea est ille homo', ita de patre, qui maior est Christo, dicere possumus: 'facies est filii pater'. Quod ut confirmetur, locus affertur Lamentationum. Ante omnia igitur statuamus suo iure Ursinum in fine 'eius faciem suam... pronuntiavit' mutavisse in 'eum faciem suam... pronuntiavit'. Non agi de eo, quod Christus faciem dei suam pronuntiavit, sed quod ille deum faciem suam pronuntiavit, ex omnibus, quae exposui, satis apparet. Kroymanni autem coniecturas nullo modo accipere possum: 'si Christus persona paterni spiritus est, merito cuius spiritus persona erat, id est patris, eius faciem suam... pronuntiavit'. Intellegere non possum, quomodo alterum ex altero consequatur: neque enim facies alicuius mea est, si eius spiritus persona sum. Neque si 'eum' scriberemus, res melius se haberet. Non possum hominem faciem meam nominare, si persona eius spiritus sum. Intellegi hoc nequit, neque quid sit persona perspicies, quod certe esse debet πρόσωπον.

[1]) Quod ad rem attinet, revoco ad ea, quae supra exposui. Apud Philonem λόγος est πνεῦμα θεοῦ, cf. Philonis De Gig. 19 sqq. l. c. II 45 sqq. ... (22) λέγεται δὲ θεοῦ πνεῦμα ... (27) νῦν δὲ τὸ ἐπ' αὐτῷ πνεῦμά ἐστι τὸ σοφόν, τὸ θεῖον, τὸ ἄτμητον, τὸ ἀδιαίρετον, τὸ ἀστεῖον, τὸ πάντῃ δι' ὅλων ἐκπεπληρωμένον. Quomodo omnes hae doctrinae a scriptoribus ecclesiasticis acceptae sint, supra vidimus.

[2]) Vocem faciei eodem modo usurpatam apud Ciceronem habes Phil. VIII 8 (§ 23): 'senatus enim faciem secum attulerat'.

Kroymannus loco Adv. Marc. III 6 (*Kr* 385/1) adductus nostra verba mutavit. Sed videamus, ne potius ille locus mutandus sit. Scriptum ibi legimus (384/24): 'agnovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israhel autem me non cognovit et populus me non intellexit. nos quidem certi Christum semper in prophetis locutum, — spiritum scilicet creatoris, sicut propheta testatur: persona spiritus nostri Christus dominus — qui ab initio vicarius patris in dei nomine et auditus sit et visus, scimus. . . .' Sententia est haec: Israhel Christum non cognovit. Christiani autem sciunt Christum (sermonem) semper in prophetis locutum esse ut spiritum creatoris, sicut propheta testatur. Itaque nihil aliud scribi potest nisi: 'personae spiritus nostrae Christus dominus —'; cf. et sequentia (385/6): 'si vero non in Christum, sed in ipsum potius deum volueris referre omnem Iudaicae ignorantiae de pristino reputationem, nolens etiam retro sermonem et spiritum, id est Christum creatoris, despectum ab eis et non agnitum, sic quoque revinceris. non negans enim filium et spiritum et substantiam creatoris esse Christum eius, concedas necesse est eos, qui patrem non agnoverint, nec filium agnoscere potuisse per eiusdem substantiae condicionem. . . .'

Ita et nostro loco nil scribendum est nisi: 'nam et scriptura quid dicit: spiritus personae eius[1]) Christus dominus. ergo si Christus personae paternae spiritus est, merito cuius personae spiritus erat, id est patris, eum faciem suam, ex unitate scilicet, pronuntiavit' = πνεῦμα (ἐκ) προσώπου αὐτοῦ Χριστὸς Κύριος, ὥστε εἰ Χριστὸς (ἐκ) προσώπου πατρὸς πνεῦμά ἐστιν, εἰκότως οὗ αὐτὸς πνεῦμα ἦν προσώπου, τουτέστι τοῦ πατρός, τοῦτον πρόσωπον ἑαυτοῦ δι' ἑνότητα προσεῖπεν. Facile intellegitur λόγον vel πνεῦμα eum, ex cuius facie (προσώπου) prodeat, faciem suam pronuntiare. 253/3 (22/10) 'persona erat' lapsum calami esse pro 'personae erat' commemorandum vix est; ceterum hoc mendum commissum est recto illo 'cuius personae spiritus erat' iam in 'spiritus cuius personae erat' mutato; 'spiritus' certe in sententiam relativam inserendum

[1]) Pro 'nostrae', quod l. l. — Lam. Ier. IV 20, Adv. Marc. III 6 — scriptum legimus.

est. Obscurum illud 'mirarer' bene Ursinus videtur mihi mutasse in 'mira res....'

XV. Transfert deinde auctor hanc explicandae scripturae rationem, quam a Philone aut certe Iudaeorum theologis didicerat, ad novum testamentum, ut et in evangeliis et apud apostolos deum et visibilem et invisibilem deprehendat; Iohannes dixit: deum nemo vidit unquam, apostolus Paulus: quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest. 'idem ipsi (253/17—22/24) apostoli et vidisse se Christum et contrectasse testantur. porro si ipse est Christus et pater et filius, quomodo et visus est et invisus?' Dicat aliquis eundem patrem invisibilem esse ante carnem, qui et filius visibilis in carne. Sed cum etiam ante carnem visus sit et post carnem invisibilis nominetur, alius esse debet, quem 'plenius visibilem caro effecit, sermo scilicet, qui et caro factus est, alius, quem numquam quisquam vidit, [nisi] pater scilicet, cuius est sermo'. Apostoli viderunt sermonem, qui ante carnem sermo tantum apud patrem, caro factus est. Ille cum ex deo ortus sit, deus nominatur:

254/16—23/14: et ideo, quoniam sermonem dei deum dixerat, ne adiuvaret adversariorum praesumptionem, quasi patrem ipsum vidisset, ad distinguendum inter invisibilem patrem et filium visibilem (20) superdicit ex abundanti: deum nemo vidit umquam. quem deum? sermonem? atquin: vidimus et audivimus et contrectavimus de sermone vitae praedictum est. sed quem deum? scilicet patrem, apud quem deus erat sermo, unigenitus filius, qui sinum patris ipse disseruit. (255/1) ipse et auditus et visus et, ne phantasma crederetur, etiam contrectatus. hunc et Paulus conspexit, nec tamen patrem vidit. nonne, inquit, vidi Iesum? Christum autem <si> et ipse deum cognominavit: quorum patres, et ex quibus (5) Christus

2 ne R^3: ut PMFR^1; 4 superadicit *susp. Eng*; 6 et contrectavimus *om.* F; 7 vitae *om.* F; 8 deus erat PMF, deum erat *Urs*; unigenitus <scilicet> *Urs*; 9 qui sinum patris MF (*cf. 238/6*), qui est in sinu patris P, qui esse in sinu patris *Oehlerus*; ipse et P, et MF; 12 si *addidit Kr*; ipse MF, ipsum P; deum *Gel*: dominum PMF.

secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in aevum, ostendit et ipse visibilem deum filium, id est sermonem dei, quia qui caro factus est Christus dictus est. de patre autem ad Timotheum: quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest, exaggerans (10) amplius: qui solus habet inmortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, de quo et supra dixerat: regi autem saeculorum, inmortali, invisibili, soli deo, ut et contraria ipsi filio adscriberemus, mortalitatem, accessibilitatem, quem mortuum contestatur secundum scripturas (15) et a se novissime visum, per accessibilem utique lucem, quamquam et illam neque ipse sine periculo luminis expertus est, neque Petrus et Iohannes et Iacobus sine rationis, [et amentia, qui] credo, morituri ibidem, si non passuri filii gloriam, sed patrem vidissent. deum enim nemo videbit (20) et vivet.

14 super F, per PM; 15 aevum. ostendit *vulgo*; deum MF, domini P, dei *Pam*; 16 quia qui PM, qui quia F; 23 et a se MR^3, ut a se PFR^1; 25 neque ipse R^3: neque et ipse PMFR^1; 26 et iohannes PM, neque iohannes F; rationis R^3 (*scil. periculo*: *Kr*): ratione PMFR^1; et amentia, qui *seclusit Kr, qui adnotat*: *postquam* rationis *in* ratione *depravatum erat*, *superscripsit huic vocabulo aliquis* amentia, *quod deinde inter verba irrepsit*; 27 *verba*: credo morituri ibidem, *quae in libris mss. paulo infra post* patrem vidissent *leguntur*, *huc transtulit Kr adnotans*: *claudicantem periodum ut sanaret*, *idem ille corrector addidit quod seclusi* qui, *Eng ordinem traditum verborum defendens sic vult rescribi*: qui si — vidissent <essent,> credo, mortui ibidem.

Consideremus totam sententiam incipientes a 254/7 (23/5): 'Denique inspiciamus, quem apostoli[1]) viderint. quod vidimus, inquit Iohannes, quod audivimus, oculis nostris vidimus et manus nostrae contrectaverunt de sermone vitae. sermo enim vitae caro factus est[2]), auditus et visus et contrectatus, quia caro, qui ante carnem sermo tantum in primordio apud deum patrem — non pater apud sermonem. nam etsi deus sermo[3]), sed quia apud

[1]) 'Apostolus' initio Paulum significaverat. Iohannem semper cum eo coniungi in hoc argumento nemo mirabitur.

[2]) I Ioh. 1, 1 iam excipitur verbis Ev. Ioh. I, 14.

[3]) Id est καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος; inde etiam collocatio verborum explicanda est.

deum, ex deo deus, quia cum patre a patre (*codices*: sed apud deum, quia ex deo deus, quia cum patre, apud patrem. *Kr*: sed, quia ex deo deus, apud deum, quia cum patre, apud patrem). et vidimus gloriam eius, tamquam unigeniti a patre'. Hac sententia confirmatur 'apud patrem' mutandum esse in 'a patre', cf. Ev. Ioh. I 14 παρὰ πατρός. Vertamus in Graecum sermonem: οὗτος ὁ λόγος πρὸ τῆς σαρκὸς ἐν ἀρχῇ ἦν πρὸς τὸν θεόν — οὐχ ὁ θεὸς πρὸς τὸν λόγον. εἰ γὰρ καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, ἀλλ' ὅτι πρὸς τὸν θεόν, ἐκ τοῦ θεοῦ θεός, καὶ ὅτι σὺν τῷ πατρί, παρὰ τοῦ πατρός. καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. 'non pater apud sermonem' (254/12—23/10) parenthesis quaedam est, qua Tertullianus saepius utitur. Nam quasi per parenthesin dicere vult ipsis verbis καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν indicari θεόν esse maius, principalem notionem. His iam nituntur sequentia: etsi deus est (sermo), tantum deus est, quia ex deo principali prodiit; cf. parenthesim nostrae simillimam 264/1—2 (31/4—5): 'alius sermo dei, alius deus, — licet et sermo deus, sed qua dei filius, non qua pater —'. Kroymannus cum non cognovisset totam argumentationem positam esse in coniunctione locorum I Ioh. 1 et Ev. Ioh. I 1 sqq., non intellexit, quot verba sint ex utroque laudata. Quod si cognoveris, omnes e medio latae erunt difficultates. — Iam pergamus: ut distinguat apostolus inter invisibilem patrem et visibilem filium, superdicit ex abundanti: 'deum nemo vidit unquam'; quem deum? sermonem? atquin: 'vidimus et contrectavimus de sermone vitae' praedictum est. sed quem deum? scilicet patrem: ἀλλὰ τίνα θεόν; πατέρα δηλονότι. Deus igitur invisibilis est, visus est dei sermo, qui caro factus est secundum Iohannem: 'etsi (254/13 — 23/11) deus sermo, sed quia apud deum, ex deo deus, quia cum patre a patre'. Acute Iohannes distinguit inter invisibilem patrem et sermonem, visibilem dei filium, qui est a patre. Nunc idem de Paulo exponit auctor: 1. Et Paulus contestatur: vidi Iesum, in primae enim epistulae ad Cor. IX 1 legimus: οὐχὶ (Χριστὸν) Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἑώρακα; 2. 'et ipse'[1]) (ut Iohannes) testatur

[1]) 'et ipse' servandum est, cum Paulus ibi Iohanni opponatur, et quia respondet sequenti 'et ipse'.

Christum deum esse; pronuntiat enim (Ep. ad Rom. IX 5): ὧν οἱ πατέρεϲ, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριϲτὸϲ τὸ κατὰ ϲάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸϲ εὐλογητοϲ εἰϲ τοὺϲ αἰῶναϲ, h. e. quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in aevum. Ergo et ipse (ut Iohannes, cf. supra et adn.) ostendit visibilem (ad 1) et deum (ad 2) aut visibilem deum (1 + 2) esse filium. 'Dei' igitur vel 'domini' totam deleret sententiam, filius acute ibi opponitur patri, de quo infra disserit auctor incipiens a verbis: (255/8—23/30) 'de patre autem ad Timotheum . . .' Reitzensteinius ut distinctior res fiat, proponit: 'ostendit et ipse visibilem <et> deum, <sed> filium, id est sermonem dei'. Ad quod bene se adiungunt sequentia 'quia qui caro factus est Christus dictus est' (*denn mit Christus kann nur der Fleischgewordene, also der sermo gemeint sein*). Nemo nunc negabit nostras duas sententias: 'Christum autem et ipse . . .' et 'ostendit et ipse . . .' secum coniungendas esse. Kroymannus igitur scripsit: 'Christum autem <si> . . . in aevum, ostendit . . .' Sed vocula 'si' opus non est, eadem enim constructio est, qua iam saepius auctor noster usus est: 'Christum autem et ipse deum cognominavit — quorum . . . in aevum —: ostendit et ipse . . .'; cf. locum de quo supra disputavimus (254/20—23/18): 'quem deum? sermonem? atquin: vidimus et audivimus . . . vitae praedictum est. sed quem deum? scilicet patrem . . .'; cf. 237/5 (9/13): 'vacua et inanis res est sermo dei: qui filius dictus est? qui ipse deus cognominatus est?'[1]) Scribo nunc: 'nonne, inquit, vidi Iesum? Christum autem et ipse deum cognominavit[2]) — quorum . . . aevum —: ostendit et ipse visibilem (<et>) deum <esse, sed> filium, id est sermonem dei, quia, qui caro factus est, Christus dictus est.' — Reitzensteinius (255/13—24/4) haerens in 'et contraria' proponit: 'ut e contrario ipsi filio adscriberemus mortalitatem <et lucis> accessibilitatem'; nam 'et' ante 'contraria' durum, asyndeton

---

[1]) Etiam hoc loco praeter necessitatem Kroymannus 'si' inseruit.

[2]) 'Cognominare' nostro loco nihil significat nisi 'nominare, appellare'; cf. c. II (229/6—2/29) 'hunc missum . . . hominem et deum, filium hominis et filium dei, et cognominatum Iesum Christum'; c. VII (237/5 — 9/13), quem locum modo laudavi.

illepidum est. Hoc Paulus dicit: solus, *damit wir im Gegensatz Christus ... zuschreiben.* ... Ad 'e contrario' velim conferas De baptismo c. II (Reiff. 202/1): 'mentior, si non e contrario idolorum sollemnia ... auctoritatem sibi extruunt'; Ad. nat. I 7 (Reiff. 70/20): 'vitam aeternam ... conservatoribus suis spondet, e contrario ... aemulis supplicium aeternum ... comminatur'. Haec bene sequentibus verbis continuantur. Vertamur ad alteram partem. Codicum lectionem recte se non habere iam Beatus Rhenanus intellexit, qui ad v. 255/17 in editione secunda haud lepide explicat: 'Sine ratione, hoc est certa ratione, et modo, id est amentia, ut et hic sumamus pro id est[1]).' Nisi placet legere erratione. Nam de ecstasi loquitur fortissima videlicet abstractione mentis a corpore ad divinitatis contemplationem. Quae alioqui et illis accedere solet, qui mente sunt emota.' Sed sic locus sanari non potest. Reitzensteinius scribit: 'neque Petrus et Iohannes et Iacobus sine rationis etiam mentisque.' Postquam ablativus 'sine ratione' irrepsit — id quod fere necessarium erat — 'etiam mentisque' abiit in verba 'et amentia qui'. Agitur de clarificatione, quae traditur Matth. XVII 1 sqq., Marc. IX 1 sqq., Luc. IX 28 sqq. cf. Matth.: (6) Καὶ ἀκούϲαντεϲ οἱ μαθηταὶ ἔπεϲαν ἐπὶ πρόϲωπον καὶ ἐφοβήθηϲαν ϲφόδρα. (7) Καὶ προϲῆλθεν ὁ Ἰηϲοῦϲ καὶ ἁψάμενοϲ αὐτῶν εἶπεν· Ἐγέρθητε καὶ μὴ φοβεῖϲθε. (8) Ἐπάραντεϲ δὲ τοὺϲ ὀφθαλμοὺϲ αὐτῶν οὐδένα εἶδον εἰ μὴ τὸν Ἰηϲοῦν μόνον. Marc. (5) Οὐ γὰρ ᾔδει (sc. Πέτροϲ) τί λαλήϲῃ· ἦϲαν γὰρ ἔκφοβοι. Lucas (32) Ὁ δὲ Πέτροϲ καὶ οἱ ϲὺν αὐτῷ ἦϲαν βεβαρημένοι ὕπνῳ ... (33) μὴ εἰδὼϲ ὃ λέγει. Omnes idem referunt: 'dormiunt illi'. Quocum confert Tertullianus id quod memoriae traditum est de Pauli conversione: Act. apost. IX 8 legimus scriptum Ἠγέρθη δὲ Σαῦλοϲ ἀπὸ τῆϲ γῆϲ, ἠνεῳγμένων δὲ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ οὐδὲν ἔβλεπεν ... (9) καὶ ἦν ἡμέραϲ τρεῖϲ μὴ βλέπων, καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲ ἔπιεν. Ut Paulus, ita et discipuli oculis timuerunt, deiecerunt eos; hoc ex sequenti (Matth. XVII 8) ἐπάραντεϲ concludit; rationem praeterea mentemque perdiderunt (exaggerat illud μὴ εἰδὼϲ ὃ λέγει); libenter credo mori-

---

[1]) Quamquam quid voluerit his verbis Rhenanus me non plane intellegere confiteor.

turos eos fuisse; nam 'morituri' ad Petrum, Iohannem, Iacobum referendum est, non ad Christum, qui in monte Tabor mortuus non est, sed passurus nominatur, quia clarificationem subsequitur passio; morituri participium igitur sententiae loco scriptum est, ut saepe participium futuri; cf. e. g. Senecae De vita beata 1,1: 'circumspiciendum, qua contendere illo celerrime possimus, intellecturi in ipso itinere ... quantum cotidie profligetur'. Ergo 'qui' rectum non est. Utrum cum Kroymanno mutemus ordinem verborum necne, non multum interest.. Equidem scribo: 'quamquam et illam neque ipse sine periculo luminis expertus est, neque Petrus et Iohannes et Iacobus sine rationis etiam mentisque, si non passuri filii gloriam, sed patrem vidissent, credo, morituri ibidem'.

VITA.

Natus sum Ludovicus Rosenmeyer Metis d. XIX Dec. anni MDCCCLXXXVI patre Iosepho, matre Sidonia e gente Rosenmeyer. Fidei addictus sum Iudaicae. Autumno anni MDCCCXCII in ordinem discipulorum Lycei Metensis receptus sum, unde aestate anni MCMIV maturitatis testimonio ornatus Argentoratum me contuli, ubi philosophicae facultati adscriptus sum. Bis sex menses ibi moratus per unum semestre Berolini litteris studui, ubi docuerunt me viri humanissimi: Diels, Ebeling, Helm, Imelmann, W. Schulze, Simmel, Tobler, v. Wilamowitz-Moellendorff. Aestate anni MCMVI Argentoratum reversus, postquam iam Argentorati et Berolini proseminario interfui, per ter sex menses seminarii philologici cui moderantur Keilius et Reitzensteinius, sodalis fui ordinarius. Praeterea interfui seminariis philosophico et Romanico. Docuerunt me Argentorati viri praeclari: Baeumker, Gillot, Groeber, Keil, Klotz, Neumann, Reitzenstein, Ziegler. Quibus omnibus maximas ago gratias, praecipue autem Keilio et Reitzensteinio, qui semper me summa comitate atque benevolentia adiuverunt.